De sacra Critica
brevis commentatio

Antonii Moszyński
s. Th. Doct. Prælati-Decani
olim Cathedr. Minsc.

Drukowana
w Krakowie 1876.

De Sacra Critica.

De sacra Critica

brevis commentatio

Antoni Moszyński
S. T. Docto. Praelati–Decani Cathed.
Minscensis.

~~Varsaviae~~.
Cracoviae.

Commentatio haec, pro s. Th. Doctoris gradu et honoribus, in Caesarea Romano-Catholica Academia, quae olim Vilnae, nunc Petropoli floret, rite consequendis, circa a. 1850 adornata, nunc, diversa aliquomtulum facie, lucem aspicit publicam. Exiguus ille quidem parvique momenti labor est, sed forsan et haec olim meminisse juvabit. Ut comptius, emendatius, perfectiusque sese exhibeat, auctor pro virili enixus est. Conjecturam criticam, quam Tobenz, Jahn, Glaire, aliique scriptores catholici, corrigendi textus bibliorum veteris foederis ergo, admittunt,

utilemque

utilemque quandoque contendunt, omnino rejecit. De Massora in Appendice § 11 fusius egit. Et quanquam haec addita, illa explosa, alia passim mutata sint, tamen opella haec a priore structura sua haud multum abludit.

De Sacra Critica.

Scrutamini Scripturas ... illae sunt, quae perhibent testimonium de me.
(Joann. 5. 39)

§ 1.
Criticae Sacrae notio.

Ars illa, quae de variis in sacro veteris testamenti volumine occurren-

tibus

tibus lectionibus agit, atque leges regulasque tradit, quarum ope de authentia, integritate, auctoritateque librorum sacrorum, nec non de sensu quo iidem libri intelligendi sunt, judicium fertur, adpellatur critica sacra. Ejus muneris est, corrupta sacrorum codicum emendare loca, recta a pravis, falsa a veris, ceu lydio lapide secernere, mutilata restituere, trajecta et perturbata in ordinem redigere, ambigua et obscura interpretari, sacram scripturam adversus debacchantium hostium audaciam sartam tectamque servare, et sophistarum nugis posthabitis, iter ad illam intelligendam planum atque expeditum aliis communire. „Codicibus emendandis, dicit s. Augustinus, primitus debet invigilare solertia eorum qui scripturas divinas nosse desiderant„ (a). Necessaria itaque cricita sacra Ecclesiae Dei est ad puritatem, veritatem, atque unionem doctrinae tuendam.

ut

Ut autem, quae ad hanc artem spectant, dicamus singula, ejus est, circa varias textus sacri lectiones (b), operam impendere, et quot, quantaeque lectiones istae, ac cujus generis sint, undeque originem ducant, et quam proclivis sit in eas lapsus, demonstrare; de sacrorum codicum divinitate, authentia, de stylo, nec non de versionibus variis agere atque tractare.

Variae lectiones multiplices sunt: illae quae inter diversos veteris legis inter se collatos libros, tum circa sacrum utriusque testamenti textum in locis parallelis occurrunt, illae, quae inter varias ss. bibliorum editiones hebraicas, inter Massorethicum, quo hodie utimur, et Samariticum codicem, inter graecas translationes septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis &c et hodiernum

textum hebraicum intercedunt, illae, quae in Hebraeo et Graeco septuaginta interpretum textu ortae sunt ex litterarum vel vocum vel etiam integrarum periodorum additione, omissione, permutatione, et quae deprehendi ex variarum sacri codicis editionum inter se collatione possunt.

Textum sacrum sive graecum novi, sive hebraeum veteris testamenti non esse certo consilio et data opera corruptum et depravatum (sed varias tantum et multiplices in eo inveniri lectiones, criticus ostendet, docebitque utra lectio sit melior et alteri praeferenda, an ea quae est LXX interpretum, an illa quae hodie in textu hebraeo extat.

De natura atque origine scripturarum, de inspiratione et de prophetiis Criticus disseret, perpendetque accurate, quo sensu auctores sacri inspirati dicuntur, utrum omnis, quae libris sa-

cris

cris inest materia, a Spiritu sancto profecta fuerit, omniane, quae continent, facta, etiam historica, ac propositiones physicae ad fidem spectent? num vero illa, quae nec fidem nec mores tangunt, inspirata audiunt? num inspiratio etiam ad voces singulaque verba extenditur?

Ad authentiam librorum sacrorum quod attinet, varia nomina, quae bibliis indita sunt, librorumque quibus constant, numerum, auctoresque indicabit criticus. De canone Judaeorum qui sit, quique ejus auctor, nec non de Christianorum canone, faciet sermonem. Libros canonicos ab his, qui canonici non sunt, distinguendi modum, eos, qui in protocanonicos abeunt, et qui in deuterocanonicos, discrimenque inter illos, ostendet. Cujusque libri explanatione accuratius facta, historiam ejus narrabit, disquiretque, qui fuerit ejus

auctor

auctor, quo illum tempore arteve scripserit. Criticus scire debet, quo sacer textus conservatus est modo, nosse vicissitudines, quas expertus est varias, variisque venientibus annis, quaerere causas, quae ad ejus variationem, corruptionemque conferre plurimum poterant, modum corrigendi textum hebraeum veteris, et graecum novi foederis, statum, quo nunc versetur, tum in manuscriptis, tum in versionibus; decernere demum principia fixa, quibus opitulantibus fas sit de lectionibus erroneis judicium ferre, illasque ad limam revocare. Qui sint libri in scripturis sacris memorati, neque amplius existentes, quod eorum argumentum subaudiatur, qui auctores, quantum hic conjecturae locus est. Qui libri apocryphi sive adhuc habentur, seu deperditi sunt, quos quibusdam circumferri pro canonicis placuit.[2]

De versionibus disputationem ingressus criticus, num versio 70 authentica sit, edisserat.

prose

prosequaturque de versionibus Samaritana, Aquilae, Simmachi, Theodotionis, Syriacis, Persarum, Coptarum aliisque antiquis, deque nostra Vulgata. Si Vulgata haec sola versio authentica, quove sensu, audit? De collectionibus Origenis ac paraphrasibus chaldaicis, de modernis seu vulgaribus versionibus, de editionibus bibliorum, de concordantiis, de harmoniis, et de commentariis. Qui usus trahendus ex Rabbi, Talmudo, Gemara, Cabala? Cujus auctoritatis sunt commentaria et homiliae Patrum? quod pondus explicationum atque commentariorum modernorum, quaeque utilissima ad scripturam s. rite intelligendam putentur.

Styli bibliorum rationem ineundo, obscuritatis ejus fontes, causasque indicabit criticus, ac diversos, quibus scriptura usurpari queat, sensus, eorumque usum, tum in controversiis, praedicationibus, tum in theologia mystica licitum, enarrabit. Ejus quoque partium est, varios modos inter-

pretandi

pretendi sacras litteras, regulasque hic servandas indicare, nec idiotismos, vel proprietates linguarum, quibus libri hi exarati sunt, phrases quoque poëticas et proverbiales, figuras, allusiones, parabolas, silentio praeterire.

Demum in antiquitates biblicas incumbat criticus. Praemissis de Geographia sacra, de origine et divisione populorum, historicam synopsim regionum hebraei populi ad Apostolorum usque tempora, mutationes in ejus regimine, moribus, usibus atque opinionibus, originem quoque et propagationem idololatriae, enarranda curabit. Chronologiam scripturarum solerti prosecutus cura et industria, cum Ægyptiorum, Assiriorum et Babilonensium chronologia conferat. Nec historiae naturali, ad scripturam respective, deerit, immo, de animalibus, de plantis, de lapidibus pretiosis, quorum

omnium in sacris litteris est mentio, dicet. Demum, quae ad vestitum et habitationem hebraeorum, quae ad pondera, mensuras, monetam, quae ad artes scientiasque referuntur, subtiliter, rationibus undique conquisitis, explicabit (d).

Primus itaque labor critici sacra biblia; quo in codice sine controversia fidelissimo, quam saepe tamen secum ipse luctabitur, si omnia ad criticae artis leges exigere volet. Constitue mihi Beli tempus, de quo non uno, aut altero saeculo, sed annis ferme mille, principes hoc in genere scriptores inter se differunt. Quandonam Assiriorum, quando Persarum imperia coepere? quos in annos confers egregium Indithae facinus? Unde Babilonicae captivitatis tempora numerare incipis, unde Danielis hebdomadas, unde ipsum Christi Domini adventum, tam celebrem, tamque notum, de cujus tamen

anno

anno, si orbis conditi rationem habeas, opiniones plus nonaginta, partim aliquo modo varias, partim omnino contrarias, invenies.

Scopuloso itaque, difficilique in loco, ut vidimus, versatur is, qui sacrorum librorum critici nomen et munera velit pro dignitate sustinere. Provinciam hanc salebrosam, lubricam, et negotii plenam, nemo non videt.

Ut autem critica profana, ita et sacra, partium studiosa non sit. Aequitas naturalis id exigit. Omnium aequi rectique amantium inficias nemo ibit, plurimos ab justitia longe abesse, qui de libris Judaeorum atque Christianorum multo secus, ac de Sinensium, Indianorum, atque Muhameddanorum judicium pronunciare, regulasque critices pro nostris libris sacris, quibus in Sinenses uti non audent, nectere, haud gravantur, frustra indignante justitia, frustra conquerente veritate.

Critico

Critico inesse debet sincerus veritatis amor, in qua perquirenda ad Deum se convertat mens humilis, et sapientiam atque intelligentiam ab illo deposcat. Id quod Ioannes Apostolus praedicat his verbis: „ Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei „. (e)

Vocari in dubium nequit, auctoritatem librorum sacrorum non a critices regularum certitudine pendere, ut increduli putant, sed ab auctoritate Ecclesiae, quae a Jesu Christo ejusque Apostolis libros hos nacta, quales illi concrediti sunt, nobis tradit. Auctoritas autem illa iisdem nititur argumentis ac Religionis Christianae divinitas. Discussionibus itaque hac in re criticis carere facile possumus, nec indigemus, nisi ad vincendam haereticorum atque incredulorum, pertinaciam.

(a) S. Augustinus de doctri. Christ. Li. II c. XIV.

(b) Multiplicem in codices hebraeos veteris testamenti irrepsisse variam lectionem, negari nequit. Est autem varia haec lectio tam circa litteras, quam circa voces et periodos integras, oriturque, vel ex detractione seu omissione, vel ex additione, vel ex methatesi seu transpositione, vel denique ex permutatione. Nam aliquando littera, vox, periodus integra, omittitur, additur, permutatur.

Nos vero non hanc intelligimus hic varietatem, quae ab ipsis ortum sacris scriptoribus habet, quibus, dum eandem rem scribunt aut narrant, haec addere, illa omittere visum fuit, ut vidimus ab Evangeli-

stis

stis factum esse, qui dum eadem de Christo scribunt, aut sermones et verba illius referunt, non semper totidem id exprimunt verbis, sed multis vel mutatis, vel additis, vel omissis, ita tamen, ut plerumque eadem mens, idemque manet sensus. Sed hanc intelligimus varietatem, quae ex humana infirmitate, librariorum incuria vel negligentia oritur, quum nempe multa vel omittuntur, vel adduntur, vel transponuntur, quae omitti, addi, transponi non debuerant.

(c) Aliud est varia lectio, aliud depravatio atque corruptio. Varia lectio oritur ex veterum librariorum facili et proclivi inter describendum lapsu, vel etiam aliquando ex eo-

rum

rum temeritate et audacia. Neque haec varia lectio sensum ut plurimum gignit falsum, aut impium, sed plerumque vel eundem, vel si diversum, parum aut nihil ad veritatem interest utrum sequaris. Depravatio vero et corruptio est a certo consilio, a fraude et malitia, ut sensus introducatur falsus, impius, haereticus, vel quoquomodo heterodoxus, et analogiae fidei repugnans atque adversus. Sunt, qui affirmant, hebraeum veteris testamenti a Iudaeis, Graecum novi ab haereticis fuisse consulto et de industria depravatum, sed rationes eorum soli

dissimi

dissime confutat Bellarminus L. 2. de Verbo Dei c. 2 et 7. (Videatur etiam ea de re Sixti Amamae disputatio accurata in suo antibarbaro L. 1. c. 2 et 3. Item Augustini de Civitate Dei L. XV. c. 13.) A corruptione librorum sacrorum metuendum est, ne fidei et salutis hominum oboriatur periculum, propterea etiam a corruptione libros illos immunes reddidit Dei cura et providentia. A varia lectione tale non est metuendum periculum, propterea hac in parte illis non cavit cura divina, quia sine perpetuo maxime admirando miraculo fieri non potuit, ut nulla nimirum irrepserit in sacros co-

dices

ces varia lectio.

(d) Introduction historique et critique aux livres de l'ancien et du Nouv. Testament par J. B. Glaire 2e edit. Paris 1843. T. 1. pag. 346 Bergier: Dictionnaire de Theologie, sub voce Critica sacra.

(e) Epla s. Joan. c. 1. v. 5.

§ 2.

Subsidia quibus Critica sacra utitur.

Nulla scientia sibi ipsi sufficere absque aliorum subsidio potest. Omnes namque indissolubili quasi nexu secum junguntur, invicemque juvantur. Critica etiam sacra, quo partibus suis integre fungatur, tum linguarum antiquarum, operum Patrum, manuscriptorum, versionum, Theologiae, Historiae cum eidem affinibus, ut Chronologia, Geographia, Antiquitatesque biblicae, tum aliarum scientiarum subsidio omnino indiget.

Et sane quonam modo sacra biblia illustrare, emendare, criticumque agere potest, qui antiquarum linguarum cognitione mentem excultam non habeat? Qua ratione, quae de fossilibus, de plantis, arboribusque, de animantibus, deque aliis sexcentis,

que

quae a divinis scriptoribus traduntur, percipere, totque quaestiones in Historia, Geographia, et Chronologia occurrentes, certo judicio dirimere potest, qui Physicam, qui historiam naturalem ac politicam, qui Geographiam neglexerit?

Nulla re minus carere criticus valet, quam linguae hebraicae studio. Hac lingua divinae literae veteris, partimque novae legis fuere exaratae, ad hanc igitur linguam in multis dubiis quaestionibus omnino est recurrendum. Versiones, quanquam perfectissimae, originarii textus partes agere nequeunt, omnesque ferme aut minus integrae, aut minus exactae sunt, plerumque etiam genuinum textus sensum, verborumque vim, quam autographa continent languida tantum expressione reddunt.

Quanto subsidio homini critico sit lingua graeca nemo non videt. In hac lingua novi testamenti codices, si Mathaei Evangelium excipies, conscripto esse constat. Versio illa septuaginta interpretum,

quae

quae antiquam legem graeco sermoni tradidit, tantum auctoritatis a primis usque christianae religionis saeculis obtinuit, tantoque usui patribus fuit, ut ob eam praesertim causam, graecas litteras cum hebraicis, ad egregium sacrarum litterarum studium conjungere oporteat. Potissima ex parte concilia generalia hoc idiomate sunt conscripta, ac graecae Ecclesiae patres, quorum aeque ac Latinorum, in eorum archetypis notitia, ad explicationem scripturarum, confirmationemque, multum juvat. „ Et latinae quidem linguae homines, inquit s. Augustinus (a). duabus aliis, ad scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas„.

Neque hoc solum. Sed et dialectis cognatis pene rudem non esse juvabit, in chaldaea nimirum, syriaca atque Arabica, quum notum sit, quantum lucis notionibus vocabulorum hebraicorum determinandis adfundant, neque raro contingat, ut radices non=

nullos

nullos servarint, quae in hebraeo frustra modo quaerantur.

Patres Ecclesiae in Critica sacra plurimum momenti habent. Ex illis enim antiquae textus lectiones intelligi possunt, quarum auctoritati, lectiones in manuscriptis hodie extantibus contentae, primas cedunt partes. Etenim manuscripta, quibus utebantur Patres antiquiora sunt nostris, textumque quem commentati sunt, notus tunc temporis receptusque erat, quum textus nostrorum manuscriptorum quandoque aliam, nisi librariorum, qui illa transcripserant, auctoritatem non habeant. Ut autem citationibus Patris alicujus secure uti Criticus queat, correctissimam ejus editionem qaerat necesse, exploratumque certo habeat, num Pater hic allegat scripturas fideliter, de verbo ad verbum, an fortassis libero modo, propria addendo verba, vel tantum

de memoria. Ex quatuor generibus operum Patrum (b), nempe commentariis in sacram scripturam, operibus polemicis, asceticis et homiliis, commentarios in crisi instituenda coeteris praeferendos esse; certo enim liquet, scripturam in manibus habuisse atque legisse, cum illam commentarentur. Quum autem Pater aliquis Criticae cancellos conscendens, scripturam, ita ut opinatur, legere contendat, minore pollet auctoritate, quam quum testetur, se in manuscriptis sui temporis ita invenisse.

Manuscripti codices, ut certum adminiculum praestent, criticus attendat eorum originem, aetatem atque characterem, a quo nempe librario, qua in regione, ex quo codice delineati sint, et ubi nunc inveniri queant. Utrum sint bene conservati, an lacunis foedi, num descripti fideliter, an for-

tasse

tasse ex ipsius librarii sententia castigati, vel ex aliis manuscriptis mutati sint. Quo antiquius manuscriptum, eo majori, quanquam non semper, fide pollet. Ut autem scripti codicis antiquitas dignoscatur, atque authographum ab exemplari discernatur, nec non unius ab alio temporis distantia deprehendatur, necessaria est scientia, qua diversi scripturae characteres in quolibet saeculo magis usitati dignoscantur. De manuscriptis fusé agunt Iahn et Hugius, qui adeundi consulendique sunt (c). —

Præter manuscripta, sacros libros ordine consueto continentia, sunt alia, quae partes eorum quosdam comprehendunt, ad legendum certis in Ecclesia diebus destinatas, quaeque <u>lectionarii</u> seu <u>eucologia</u> appellantur. Quanquam vero lectionarii isti,

eadem

eadem ac alia manuscripta ejusdem temporis auctoritate non gaudeant, attamen commode illis uti potest criticus, vel ad ivemiendas novas, vel ad corrigendas, quae ex lectionariis in textum irrepserant, lectiones; sed perquam caute exploratequae hic procedendum, facile enim errori locus datur.

Cœlestium volumina legum, quas Deus tum in veteri, tum in novo testamento revelavit, cum providentia Ejus disponente, omnibus mundi nationibus, manifesta esse deberent, varii sermonis consuetudini tradita sunt, indeque variae versiones prodierant. Versiones autem illae in antiquas et modernas abeunt, quarum omnium auctoritas, tum a codice ex quo profluxerant, tum a sæculo quo facta sunt,

a dili-

a diligentia atque cultura auctorum, a modo quo adornatae sunt, et a statu, quo ad nos pervenerant, pendet. Omnium versionum maxime aestimandæ sunt, graeca quae 70 interpretum dicitur, et vulgata latina. Versio septuaginta interpretum maxima fuit trium circiter sæculorum ante Christum spatio apud Iudæos, qui inter Graecos vivebant, eorumque utebantur lingua, in auctoritate et pretio, ita ut publice, in eorum synagogis, lecta fuerit. Versione hac Apostoli et Evangelistae in scripturis veteris testamenti citandis usi sunt, eamque usu hoc et scriptis suis quodammodo consecrarunt; illa Apostoli mundum subjugarunt, remque publicam Christianam inter gentes propagarunt, illam graeca et latina

Ecclesia pro vulgata annis 600 habuit, hanc Patres et scriptores ecclesiastici antiqui suis commentariis explicuerunt, adeo, ut maxima pars Theologiae et scientiae scripturarum, quam ab antiqua ecclesia accepimus, ea auxiliante, ad nos derivata sit; hujus denique versionis ope Patres Ecclesiae, nascentes haereses jugularunt, atque Concilia generalia eaque celebriora (ut prima quatuor) veritates divinas stabilierunt, canonesque ad fidem moresque formandos condiderunt.

Versio tamen haec non satis integra erat, longeque saepe ab Hebraeo discedebat. Cum autem versiones aliae, quanquam hebraeum propius textum secutae, sed ab hominibus semichristianis, neque in fide orthodoxa sanis factae essent, s. Hieronymus hebraicae veritati, magis quam 70 [LXX] interpretes respondens, optima quaeque ex reliquis translationibus seligens, novam ex Hebraeo, caeteris om-

nibus

nibus longe accuratiorem, latinam concinnavit versionem. Quae quanquam primitus difficulter admodum, et sero in Ecclesia invaluisset, apud eos homines qui auctoritate LXX interpretum movebantur, sed pontificum auctoritate ac virorum doctissimorum testimoniis factum est tandem, ut pene sola in Ecclesia Latina, veteribus aliis paulatim in desuetudinem abeuntibus, reciperetur. Neque obstat versionem illam non raro ab Hebraeo discedere. Non pauca enim librariorum, qui olim descripserunt, incuriâ corrumpi potuit, et s. Hieronymus aliter fortasse suo in codice Hebraeo legit, quam hodie legimus in nostro. Vulgatam hanc Synodus Tridentina (sess. 4) reliquis editionibus seu versionibus latinis anteponendam, et authenticam declaravit.

Versionum graecarum Aquilae, Theodotionis, Symmachi, illarum, quae notae sunt sub nomine quintae, sextae et septimae editionis, Collectionum Origenis quae quinquaginta tomis constabant, maximus certe in Critica sacra esset usus, si integrae ad nos pervenissent. Versio antiqua Italica

Syriaca dicta Peschito, Coptica seu Aegyptiaca, Armena etiam, Persica et Arabica, homini scripturas sacras scrutanti, commodo esse possunt. (d) Ut autem antiqua versione secure criticus uti queat, facta sit necesse ex textu originali, verbo tenus, nec sit corrupta, monstretque textum non alium, nisi quem auctor versionis prae oculis habuit. Itaque utilissimae versiones illae sunt, quae remotissimam antiquitatem redolent, quaeque ad verbum factae atque purissimae putantur.

Non alius scripturae tribuendus sensus, nisi analogus fidei, neque traditioni et Ecclesiae decretis oppositus. Quae vero secundum analogiam fidei traditionique ac Ecclesiae decretis consona sint, Theologi est nosse. Criticum itaque Theologia valere, ut nihil magis, convenit. Cujus scientiae multi, qui criticae sa-

crae

crae studium navarunt suum, vel omnino expertes, vel tantum leviter illa tincti, aut illam audacter contemnentes, triste fecere naufragium, ut inter alios Richardus Simon, quem doctissimus Bossuetus justissime perstrinxit.

Historia, cumque illa conjunctae scientiae, ut Chronologia, Geographia, atque antiquitates biblicae, criticae sacrae suppetias veniunt. Rerum itaque gestarum monumenta volutanda, noscendaque Geographia nec solum Hebraeorum, sed et Aegyptiorum, Chaldaeorum, Persarum, Arabum, et aliarum nationum, quibuscum pacis belligue, vel mercaturae, vel alia commercia habuerant Hebraei. Multa vero difficultatum seges, in annis scripturarum computandis obvia venit, quas, nisi Chronologiam noveris, non expedies. Ad antiquitates biblicas plane cognoscendas adeunda sunt opera Josephi, Philonis, et Rabbi

norum antiquorum, nec contemnendus Talmud, scriptaque eorum, qui Orientis regiones perlustrarunt, moresque depinxerunt hodiernos.

Scripturam sacram in rebus fidei scimus integram esse, in adiaphoris non esse. Inde textum ejus quandoque immutare, manuscriptorum, versionum et aliorum fide remota, visum est nonnullis necessarium atque opportunum (*) Et quanquam hunc critices modum Jahn, Tobenz, Glaire, et alii scriptores catolici haud improbant, ego tamen omnino ab ea abstinendum censeo. Tanta enim manuscriptorum, versionum, editionumque abundamus copia, ut impossibile ferme sit, quin vera lectio conservetur. Doctissimi critici, qui [conjecturae indulserant, in gravissimos errores prolapsi sunt. Origenes qui aliquoties correxit

(*) Immutatio haec conjectura critica appellatur.

correxit textum conjecturae auxilio, cujusque conjecturae ad manuscripta transierant, haud semper rem bene gessit. Id ipsum dicendum de Erasmo, qui primam dedit editionem novi Testamenti. „ Nihil mutetur e conjectura, dicit Grisbachius, nihil nisi testium, nempe codicum, versionum, patrum, auctoritate „ (e).

Sunt et alia perficiendi crisim sacri textus subsidia, ut loca parallela, paraphrases chaldaicae, Massora, studium conciliorum, commentaria.

Critica itaque sacra omnium ferme artium atque scientiarum ita comes esse debet, ut sine illis ad perfectionem vix assurgere valeat.

(a) De doctr. christ. L. II. c. XI.

(b) Critica patrum opera quatuor sunt generum: 1º Quaedam ad sacras litteras intelligendas viam sternunt, ut Origenis Philocalia, et quatuor s. Augustini libri

de

de doctrina Christiana, praesertim secundus et tertius, ubi linguarum studium, naturales disciplinas, atque artem criticam commendat, regulasque tradit loca obscura interpretandi, nec non Synopsis quae tribuitur s. Athanasio. – II° Alterum genus, praefationes in quemlibet scripturae librum complectitur, quae operis scopum, historiam, atque alia hujusmodi continent, ut s. Hieronymi epistola ad Paulinum, epistola ad Desiderium, et XVIII ejusdem epistolae in omnes scripturae libros, praeterea Theodoreti praefatio in universam scripturam, s. Gregorii Nysseni Tractatus: Epistola s. Athanasii ad Marcellinum de titulis psalmorum,

et quod

et quod spectat ad novum Testamentum, Eusebii Caesariensis epistola ad Carpianum, et concordia Evangelistarum: insuper s. Augustini concordia, ubi erudite antilogias explicat, et liber de Catechizantibus Rudibus, ubi docet, quomodo novum Testamentum ex veteri illustrari queat, tandem libri de Religione, de moribus Ecclesiae, et de Sermone Domini, in quibus de sacrorum librorum obscuritate verba facit. III° Sunt etiam Patrum libri, qui loca difficilia exponunt, ut epistola 130 s. Hieronymi ad Marcellum, in qua quid sit Ephod et Theraphim explicatur; epistola 137 de vocibus Alleluja et Amen: epistola 138 de voce Sela, quam Graeci vertunt Diapsalmos; epistolae 142, 143, 145,

quibus

quibus Oziae historiam describit, et exponit quid sibi velint Sanctus et Hosanna. His adde libros in quibus explicat alphabetum hebraicum, nomina virorum, provinciarum et urbium, quorum in sacris libris fit mentio: traditiones hebraicas, et discrimen inter codicem hebraicum et graecum. Praeterea S. Epiphanii liber de nummis, ponderibus et mensuris. — IV°. Denique non desunt opera, quae controversias ex divinis libris exortas illustrant. Hujusmodi sunt: Responsa ad quaestiones Damasi Papae de quinque difficultatibus in Genesim s. Hieronymi: Insuper ejusdem de annis Salomonis et Achaz, epistolae sex ad Hebidiam, Algasiam, aliasque, in quibus veteris testamenti difficilia loca et contro-

versias

versias explanat. (Prosper ab Aquila, Dict. Theologicum).

(c). Jahn Instit. Par. 1. c. 7 § 115. Hugius. Instit. Par. 1. c. 6. § 49.

(d). Legantur de his Prolegomena Valtonis ad biblia Poliglotta et alii Critici.

(e) Grisbach. Proleg. in Novum Testamentum.

Appendix de Massora.

Initio saeculi post Christum natum sexti, Judaei convenerunt Tiberiadem, revidendi textus hebraei, designandorumque variantium praecipuorum gratia. Singulos illi computarunt versus, voces quoque, quin et litteras recensuerunt, ut genuina scriptu-

ram

rarum lectio ab omni corruptione, mutationibusque servetur immunis. Liber, quo has criticas ac philo-logicas deposuere observationes, appellatus fuit Mas-sora, id est traditio, illique Massoretharum nomen obtinuerunt.

Massora in majorem et minorem abit. Su-pra et infra textum, aut in ejus calce major est digesta, minor, quae majoris epitome est, par-vulis exarata litteris, tantaque abbreviatione, ut sacras scripturas uno tantum verbo citet, in mar-gine interiore, quandoque etiam exteriore locum tenet. Utraque vero scripta lingua chaldaica, ex variis hominum, qui circa scripturae corticem et elementa occupabantur, collecta est notis et ob-servationibus.

Omnium Massorae partium utilissima Criticae sacrae est, quae Keri et Cetib dici-tur (a)

(a) Keri et Cetib voces sunt Chaldeae, quarum altera

Primum quidem Massorethicarum observationum initium liquet factum fuisse a vocibus, quae scribuntur et non leguntur, hoc est quae visae sunt quasi superfluae; dein progressum esse factum ad voces quae leguntur non scriptae, nempe quae ad sententiae integritatem videbantur desiderari. Verumenimvero a primis Massorethis paucas hujusmodi voces esse observatas, dein vero a sequentibus plures, tum eos progressos esse ad voces quae aliter scribuntur, aliter leguntur, quarum numerus, pari ratione, progressu temporis, cepit incrementum. Voces itaque non scriptas, quas Massorethae legi volunt, per Keri, scriptas vero quas legi nolunt, per Cetib designabant. Inde ortae sunt variae Massorethicae lectiones, quarum corpus non subito et eodem temp

quod lectum est, et per extensionem quod legendum, altera quod scriptum est designat.

tempore, ab uno atque altero homine, sed paulatim, per gradus multos, multaque saecula crevit. Neque censendae sunt hujusmodi lectiones aut notae factae ex eodem volumine, sed ex diversis bibliorum codicibus, nempe, quisque Massorethaarum proprio utebatur codice, atque in eo inter legendum suas faciebat observationes, quas in libri margine annotabat in privatum duntaxat usum, quae postmodum factae sunt juris publici. Ex variis deinde codicibus sic in margine annotatis collectum et compactum videtur in unum totum illud hodiernum variarum lectionum opus quod Keri et Cetib dicitur.

Judaei sacrosanctam volunt esse Kerib lectionem, a qua nullo modo liceat discedere, utpote quae sit secundum ipsos traditio Mosis e monte Sinai, vel saltem ab Esdra et reliquis Synagogae M. viris excogitata. Sed cujus reapse Massorethae authores sunt.

Attamen

Attamen non omnes totius legis voces atque litteras dinumerarunt Massorethae, nec dinumerare potuerunt. Fecerunt hoc illis, quibus utebantur codicibus, at non in omnibus et singulis, qui tunc per orbem terrarum extabant, hoc enim infinitum atque impossibile fuisset. Cumque eorum unusquisque suo ex codice faceret proprias circa voces et litteras observationes, hique codices inter se variarent, mirum non est, si factae ex tam diversis codicibus observationes inter se non congruant. Si itaque haec vel illa ss. bibliorum editio aut codex non consentit huic vel illi Massorethicae observationi, non statim eo ipso damnanda est codicis vel editionis illius lectio, sed examinanda est utraque et expendenda, videndumque utra magis sit analoga, apta atque conveniens.

Occurrunt autem nonnunquam in notis

seu observationibus ejusmodi massorethicis discrepantiae atque pugnae manifestae, tum inter se, tum a textu, et hoc quidem multipliciter. Si enim Massora magna notat hanc vel illam vocem toties inveniri sic scriptam, parva vel saepius vel rarius scriptam tali modo occurrere affirmat. Si consulatur hodiernus textus sacer, deprehendetur aliquando, jam non toties, jam pluries, quam ab utraque Massora fuit annotatum, voces nonnullas inveniri. Sed Massora magna a se ipsa interdum discrepat, sibi ipsa repugnat, aliter hoc, secus alio loco affirmando.

Discrepantiae vero et pugnae illius variae possunt esse causae; vel scribarum error, qui in numeris rite assignandis labi potuerunt, alterum alterius loco ponendo, vel auctorum fragilitas, utpote qui non satis attenti et accurati in supputando, numerando fuerint, vel quod

iidem

iidem auctores, qui varii fuerunt, nec eodem loco et tempore scripserunt, usi sunt codicibus, qui inter se discreparent.

Massorethae non raro reprehensionem incurrunt justam atque debitam.

Eorum causa lectiones haud paucae, meliores fortasse his, quae ab ipis conservatae sunt ex manuscriptis interierant; illi etiam, lectionibus, quae Iudaeis videbantur adversae, religionis respectu, neglectis, alias, faventes sibi admittere non sunt gravati.

In punctuatione nominum propriorum quae occurrunt in sacris Veteris Testamenti libris, rarissime Massorethas sequi lectionem LXX interpretum, quin ab ea contra longissime saepe recedunt, idque ex occulto adversus graecam translationem, quam apud Christianos magno esse pretio atque auctoritate videbant, odio.

Respectu atque reverentia Massorae factum,

antiqu

antiqua manuscripta, quae ab illa discrepabant, neglecta fuisse, omniaque textus hebraei exemplaria, cum primis massorethicis codicibus scriptis, plane congruere. Hoc novitatem manuscriptorum existentium, eorumque inter se miram concordiam explicat. Judicio et opinione Massorethaerum antiqua manuscripta non ea esse, quorum jacturam moleste feramus, lectionesque maximi momenti conservatas nobis esse in Keri Massorae. At quum criticae antiquorum Judaeorum confidere securum non sit, jactura codicum antemassorethicorum, gravis atque ingrata evadit.

Non omnia ita exacte et accurate ab illis hominibus in sacro contextu emendata sunt, tam quo ad puncta, quam quoad litteras, quin multa etiam nunc supersint acri criticae lima atque

judicio

judicio adhuc emendanda. Massorethae infallibiles non erant, ideoque opinio eorum criticae subjicienda est, vel conferendo eorum observationes cum analogia linguae et contextu, atque locis parallelis, vel componendo cum optimis scriptis codicibus, habita ratione antiquarum versionum chaldaicae, graecae atque latinae consuetudinis. Quis enim solis Massorethis libros sacros censendi, emendandi corrigendique auctoritatem et potestatem dedit, ut eorum auctoritate sola usque adeo arcte teneamur, ut ne hilum quidem ab illis discedere liceat? Itaque si forte contingit, ut punctuatio Massoretharum, sensum sensum alicubi pariat obscurum plane et perplexum, antecedentibus, consequentibus non satis cohaerentem, maxime vero si falsum, aut aliis scripturae locis repugnantem fundat, tum causa nulla est, cur liberum nobis esse non debeat iis

in

in locis aliam adferre et amplecti punctuationem, quae sensum isto planiorem atque veriorem efficiat.

Et quanquam Massorethae haud semper susceptum negotium recte transigant, non tamen frustraneus est inutilisque eorum labor, sed perquam necessarius atque criticae textus hebraei opportunus censendus est.

Massorethae nonnullas antiquissimorum codicum, a manuscriptis hodie existentibus exulantes, atque his, quae ab ipsis textui insertae sunt, praeferendas, conservarunt lectiones. Homines namque illi, codicis bibliorum, quo utebantur, antiqui forte, reverentia et auctoritate moti, scripturam ejus, quam variis in locis vitiosam atque defectam suspicati sunt, integra et intacta relicta, vitium quod subesse arbitrati sunt, in margine indicarunt.

Non omnes lectores, non omnes interpretes ante Massorethas eodem prorsus modo ubique

in

in hebraeo textu semper legisse, planum est; sed varii circa puncta et accentus fuerunt, quandoquidem punctatis codicibus, qui tunc fuerunt multi, erant destituti. Inde varietas interpretum exiit, quum alius sic, alius aliter legeret, prout unusquisque vel conjectura, vel judicio suo assequi poterat. Massorethae itaque puncta vocalia et accentus, quos vocant distinguentes, excogitarunt, et sacro textui, solis consonarum figuris antea descripto, addiderunt. Neque hoc solum; sed eundem textum in partes, capita nempe versusque diviserunt, atque his omnibus modis ab inconstantia lectionis, immunem quodammodo fecerunt.

Observationes Massorae quoad voces, quae videbantur vel omissae, vel superfluae, vel quae aliter quam scriptae erant, legi deberent, plurimum saepe valent. Ac si nunc, magnam ~~inter~~ inter varia exemplaria sive codices vide-

re

re liceat discrepantiam, ita ut ipsius variae lectionis datur etiam varia lectio, ex codicum, etiam in varietate illa discrepantium, dissidio atque pugna, quid esset, si Massorae observationibus, quae non tantum circa puncta vocesque singulas, sed etiam circa totas periodos agit, caruissemus? Major certe adhuc lectionis varietas, major inter legendum atque interpretandum difficultas, asperitasque, oriretur. Persuasum itaque habemus, Massoram, quanquam correctiones et observationes ejus saepe futiles sint et supervacaneae, nonnunquam etiam perversae, multis tamen esse nominibus laudandam, plurimumque integritati sacrorum bibliorum profuisse.

§ 111.

Limites inter quos sacra critica retinenda est.

Critica sacra utilis multum, atque Ecclesiae proficua est, modo inter aequos limites contineatur illius usus. Cavendum, ne longius, quam par est, excurrat ingeniorum libido, memorandumque, auctoritati divinae humanam rationem submittere fasces debere. In studio deprehendendi alterationes textus primitivi, traditio consulenda est, et sanctorum Patrum terenda vestigia, communisque Ecclesiae expositio prae oculis semper habenda, sicuti sapientissime statutum est in Tridentina Synodo:

„Ad coërcenda petulantia ingenia, decrevit sancta Synodus, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam sacram scripturam interpretari audeat". Ea de causa male accepti sunt, qui jam receptas in Ecclesia Dei interpretationes, uti certas et unice veras, contrariis et enormibus sententiis propositis improbavere.

Summa ingenii vis, perspicacitas, vastaque eruditio desideratur, maxime vero judicium exquisitum, [ab eo, qui critici partes exercendum suscepit; erroresque clarissimorum virorum, quam ardua, plenaque negotii sit res, abunde docent. Ne itaque incerto passu circumferatur critica

sacra

sacra, atque ingenia plerumque ambitiosa, intra quosdam cancellos, limitesque contineatur ejus usus, oportet. Limites hi certis constant regulis, quas a doctissimis viris excogitatas (a), hic subjungimus.

Lectio, cui omnia ferme manuscripta, versiones, atque Patres Ecclesiae favent, quaeque contextui, vel syntaxi, vel locis parallelis non repugnat, critice vera est, atque certa, veritatisque possidet criterium. Maximam partem Vetus et Novum Testamentum hac indole gaudent, ideoque authentica sunt.

Cum locus aliquis diversas habeat lectiones, illa, cui maximae testium auctoritates favent, eligenda est, caeterisque praeferenda. Testium vero auctoritas ab eorum vetustate atque praestantia pendet. At qui auctoritatis gradus sint, in diversum tendunt critici. Hoc illos ordine statuunt nonnulli: 1) Loca parallela,

textusque Samaritanus, qui ad separationem tribuum descendit. 2) Versio septuaginta interpretum, quae tribus prope saeculis ante Christum facta est. 3) Adnotationes Massorae, versiones Aquilae, Symmachi, Syriaca, atque paraphrases Chaldaicae et Vulgata nostra. 4) Scripti codices, nunc extantes, editiones textus hebraei, rabbinorumque scripta. Sola vero major vetustas in manuscriptorum collisione certissimum non praebet criterium. Recentiora enim, ex magis adcurato, quam minus antiqua, codice, exscripta esse possunt, descriptoremque aptiorem atque diligentiorem habuisse.

Lectio, cui favent versio Syriaca, antiqua Italica, atque Origenes, vel quam Pater II et III saeculi affirmat in omnibus sui temporis scriptis codicibus receptam fuisse, est

omnium nostrorum manuscriptorum lectioni praeferenda. In versionum collisione, ad originale confugiendum.

Textus Samaritanus, praevalere generatim textu hebraeo extante non potest, nisi forte lectioni ejus aliquot versiones antiquae suffragantur, potiorque sit hebraeo textu. Si textus Samaritanus et antiquarum versionum aliqua lectio omnibus dissentiat scriptis hebraeis codicibus, lectio haec praeponenda est, quod testium munitur praesidio antiquissimorum. Caeterum, quae omnibus in manuscriptis hebraeis invenitur lectio, linquenda non est, quia Iudaei, religionis stimulo, nullam aliam priorem, quam conservandi textus sacri integri, curam egerunt. Versio etiam Septuaginta praeferri textu hebraeo non potest, quia solum ejus manuscriptum plus pollere, omnibusque hebraeis codicibus potius esse nequit,

qui

qui licet recentiores, inficias nemo ibit, quin ab aliis antiquissimis manuscriptis procedant. Si tamen lectio LXX firmetur textu Samaritano, antiquis versionibus vel Massora, praeferri potest.

Non est eligenda lectio, quam major juvat testium numerus, quia non numerus, sed pondus testimoniorum hic valet. Plurima manuscripta lectioni faventia, vel moderna esse possunt, vel ex uno fonte profluxisse, unumque constituere testem. Pauciora vero, potioris, quam plura, conditionis esse possunt, pluresque dare testes.

Lectio syntaxi repugnans, rejicienda semper non est, fieri enim potest, ut lectio hæc anomala, archaismum spiret, sitque proverbialis sermo, qui in vulgi ore regulis syntaxeos concors quandoque non est.

Difficilior, rarior, atque obscurior lectio, faciliori, communiori et clariori est nonnunquam praeferenda, facilior namque in manuscripta irrepsisse potuit facilius, et experientia docet, a librariis loca obscura correcta saepe fuisse, clariora reddere conantibus.

Cum

Cum validae rationes occurrant, integrum est, punctis massorethicis, divisione capitum versuumque qui nostris editionibus inveniuntur, supersedere, vocesque aliter ac sunt in manuscriptis extantibus digerere; moderna enim illa sunt, non scriptorum sacrorum, nec in primis codicibus deprehenduntur, potestque esse, ut Massorethae earum rerum auctores, quandoque erraverint. Sed si locus dogmaticus sit, atque alia interpretatio sensum, quem Ecclesia in liturgia et Patres receperunt, mutaret, a mutatione abstinendum.

Professor Parmensis Rossi, praescribit hos limites inter quos retinenda est critica sacra: „Moderatus criticus sit, a partium studio remotus, nec magis in unam partem juret, quam in alteram. Solis versionibus non fidat, nec fidat soli Massorae. Utrumque fontem conjungat, et varietatem lectionis in manuscriptis magno numero reperiendam ex consensu cum antiquis versionibus dijudicet. Variam le-

ctionem receptae non praeferat, nisi primum mature singulos fontes expenderit, nec ex analogia vel conjectura, nisi evidens mendum et urgens cogat necessitas, id faciat sed ex auctoritate. Auctoritas sit maxima et gravissima, non ex uno vel altero eoque infirmo fonte, sed ex gravioribus, et ex eorum, si fieri potest, consensione deducta. Consideret non modo qui codices aut fontes variae lectioni faveant, sed et qui contra eam faciant, receptamque lectionem confirment. Non urgeat lectionem antiquissimorum codicum, nisi certo de ea constet, nec plus, quam par sit, vetustatis interpretibus, aut parallelis locis, tribuat." (b)

Tolle istas leges aut flocci pende, senties artem criticam non minus perniciosam, quam gladios, morborum quidem curatores in medici prudentis manu, at in furiosi hominis funerum auctores.

(a) Glaire. Introduction historique et critique etc – Tobenz. opera. T. II.

(b) Rossi. Variae lectiones vet. Test. proleg.

§. IV.

Abusus
quos Critica sacra recentioribus temporibus commisit.

Esse potest, immo saepe est, Criticae sacrae, alioqui laudabilis atque utilissimae artis, perversus usus; et quemadmodum aliae artes nocere interdum solent, ut Medicina, Eloquentia Philosophia, non sua, sed abutentis culpa, ita hominum vitio veritati nonnunquam officit critica sacra, quanquam in ipsius praecipue veritatis praesidium excogitata.

Iam inde ab ipso Religionis exordio, ad nostra usque tempora insurrexerunt lupi rapaces, et viri loquentes perversa, ut Apostolus praedi

xerat, qui libros sacros et authenticos inter spuria ablegarunt, quia nempe doctrinae suae vel disciplinae contraria esse intellexerunt, qui conjecturis suis nimis indulgendo, corruperunt, quod voluerunt emendare.

Blande cogitant multi homines, nil obstare, quominus ad artem criticae sacrae tuto pede properent. Ea vivimus saecula, quae ingenia non damnant ad incudem et transtra, sed libera esse cupiunt, suique juris. Inde tanta errorum sylva excreverat, mercesque fallaces et fucosae, criticae sacrae nomine venditantur. Inde maxima opinionum diversitas, quod enim unus ut authenticum admittit, alter apocryphum hoc dicit, quod uni verbum Dei sanctum venerandumque, id alteri sermo hominis fallens atque adulterinus videtur.

Hos errores, has opiniones falsas, sive abusus criticae sacrae, non omnes atque singulos, sed recentiores majoresque, hic in medium proferre,

nostra

nostrae curationis res est.

Critici Germaniae protestantes, Vater, de Wette, Bohlen, Watke, Genesius aliique nonnulli, libros Pentateuchi genuinum Mojsis foetum esse inficiantur, in quo aliquot tantum parvi momenti fragmenta illi concedunt. Opinionis hujus patroni, inter quos temporibus hisce eminet Eychhorn, praecipuis in partibus Pentateuchi nonnisi simplices memoriae libros, quasi Milesiam fabulam, agnoscunt, scriptos alios per ipsum Mojsem, alios per contemporaneos ejus quosdam, recollectos ab aliquo compillatore, qui non solum redegit eos in corpus operis, sed et addidit plura. Richardus Simon (a) e catholicorum coetu, magni nominis criticus, laudatos libros non opus Mojsis esse, sed quoddam ex vetustis monumentis sive annalibus a Judaeorum scribis factum epitomen, plane profitetur. Leges tantum forsan a Mojse fuisse scriptas, non vero legum atque nationis historiam, quae a scribis

seu

seu publicis tabellariis, qui prophetarum titulum habebant, adornata fuit. Celeberrimus Jahn quoque (b) interpolationes etiam magnas in Pentateucho admittit, qua in adsertione processit adeo, ut ipsorum protestantium reprehensionem incurrerit. Posita enim hac hypothesi, ad auctoritatem Pentateuchi infirmandam sterneretur via.

Idem Richardus Simon librum Iosuae a quodam hagiographo fuisse compositum ex annalibus publicis, contendit. Clericus sive Le Clerc vult, nonnullas tantum partes esse Iosuae, aut alicujus ex ejus contemporaneis, totum vero librum ut nunc habetur, attribuit auctori recentiori et posteriori regno Iosiae.

Historiam Ruth esse puram fictionem Bertholdus somniat. Dantur, qui censeant, librum primum regum inter spuria reponendum, e canoneque expungendum.

Vilhelmus

Vilhelmus Martinus Liberecht de Wette, professor Universitatis quae Basileae floret, edidit librum (c), in quo historicam Paralipomenon auctoritatem destruere nititur, contortis sophismatibus, injuriisque in librorum horum auctorem structis, quem ignorantiae, superstitionis, malaeque fidei accusat. Rationalistis tamen multum placuit, qui, gravissimos errores ne videant, oculis capiuntur. Eum sequutus est Gramberg, qui anno 1823 publici juris fecit opus: Die chronik nach ihrem geschichtlichen character und ihrer Glaubwürdigkeit neu geprüft in 8º, in quo latius est opinione evagatus ac de Wette, cujus simplices conjecturas, certas ratasque veritates appellat. Paralipomenon non plurium, sed unius auctoris opus esse affirmat, qui auctor minime fidelem atque veram gestorum, quae narrat, historiam litteris consignavit, plurimosque in historia naturali, geographia et chronologia errores incur-

rit

rit, atque incuria et superstitione laborat maxima. Criticus hic partium studio infectus, atque rationalismo omnino deditus, et mentita et falsa et plena erroribus nectit.

Librum Tobiae nonnulli cum Paulo Fagio, fabulas vendere, mendaciisque scatere, vel piam fabulam ad exprimendam ideam optimi patris ac filii excogitatam jactabant. Atropaeus (d) dicit, narrationem de Juditha et Holoferne, non historiam esse, sed epos quoddam. Eychhorn de libro Judithae asserit, quod quae in illo continentur, cum chronologia conciliari nequeant, quod Geographiae antiquae repugnent, quod omni verisimilitudine destituatur interna. Multi praeterea Critici protestantes, eundem librum e canone divinae scripturae explodunt, affirmantes, eum tantas continere omnis generis difficultates, maxime vero tantas contradictiones historicas et geogra-

phicas

phicas, ut totus hic liber secus ac pura fictio, vel simplex parabola, reputari nequeat. Prae ceteris Grotius omni enixus est opera, praecipuas, quae hoc libro memorantur personas, inter allegorias amandare. Historiam Judithae elegantem utilemque parabolam esse, sed absque ulla veritate historica, ad Judaeos consolandos, et in religione firmos retinendos, confictam, idem asserit. Jahn etiam, scriptor catholicus, opinioni protestantium hac in re adhaerere videtur (e).

Multi protestantium, inter quos Clericus, affirmant, librum Esther, non continere nisi fabulam heroicam vel parabolam, genusque Tragœdiæ quoddam, in qua, ut in scenicis repraesentationibus fictae veniunt personae; parti vero deuterocanonicae hujus libri auctoritatem canonicam abnegant. Alii ut Bauer et Seiler, fontem libri historicum putant, sed qui refertus, ornatusque est multis fictis. (f)

Jahn (g) et Rosenmüller (h) non abnuunt

quidem

quidem Iobum extitisse, praecipuasque ejus historiae partes veras esse, putant tamen, quod, ut poetis rem poematorum a historia petere moris est, sic libri Iobi auctor, historiam alicujus justi infelicis, cujus memoriam retinuit popularis traditio, litteris consignaret. Alii et Iobum non extitisse, et librum ejus parabolicum, seu historiam commentitiam esse autumant. Huetius, Lamy, Dupinus (i) integram narrationem libri Iobi non esse historiam docuerunt.

Plerique dicunt, libros Sapientiae et Ecclesiastici e canone Esdrino exulare, in canone Judaeorum in Palestina degentium ante Christum, non fuisse contentos, in canone Judaeorum post Christum viventium desiderari, in multisque canonibus Ecclesiae antiquae christianae deesse, itaque divinitatem se iisdem detrahere posse, fabulasque libros hos continere, putant.

Recentiore hoc aevo, Critici protestantes, ma-

gno

quo studio, atque mille variis argumentis probare enisi sunt, prophetias Isaiae adscriptas, praesertim quae non spectant Judaeos, et 27 posteriora capita, contextas fuisse a variis auctoribus, quorum ignorantur nomina, quique post Isaiam vixissent. Praecipui hujus opinionis patroni sunt: Keppe, de Wette, Eychhorn, Berthold et Genesius. Partem vero alteram, nempe 27 capita ultima quod attinet, opus esse alicujus Judaei exulis, qui leniendi concivium suorum captivorum maeroris ergo, sermones hos ad illos habuit, ad consolandum et instruendum aptissimos, iidem effuciunt.

Jeremias, ud videtur Jahno (k), primis viginti tribus annis muneris sui oretenus vaticinatus est, nactusque auditores cultos et illustres, qui, quae audierant, memoriae, et quaedam litteris mandarunt, ac demum, cum propheta jubente Deo, vaticinia sua scripto consignasset, divulgavissetque, notata sua vel ad margines

ejus

ejus libri posuerunt, vel inseruerunt textui, quaepiam fortasse, fallente memoria, mutarunt. Neque hoc solum; sed idem Criticus, quae in nostris hebraicis bibliis c. XXX v. 14–26 habentur, meram interpolationem, locumque apocryphum reputari debere, autumat.

Critici Grotius, Capel, Eychhorn, Berthold et de Wette, librum Baruch anacronismis scatere adcusant, opusque esse Judaeorum quorumdam hellenistarum, qui ut liber hic, ex pluribus frustis singillatim elaboratis concretus, plus auctoritatis atque celebritatis haberet, illum Barucho adjudicarunt amanuensi Jeremiae.

Eychorn authentiam libri Danielis oppugnat (l), Jahn (m) deutero-canonicam partem abjudicat huic prophetae, asseritque, fragmenta haec simplices parabolas esse compositas fine morali longe post tempora Danielis. Alii libros Machabaeorum impetunt, quibus antilogias

adscribunt

adscribunt, cum historia et chronologia eos pugnare, pluraque in falso cubare, autumant.

Non paucos, novam etiam in legem, abusus critica commisit. William in Anglia, Michaëlis in Germania, authentiam primorum duum capitum s. Mathaei in dubium vocarunt. Alii, duodecim postremos versus cap. XVI Evang. s. Marci, et versum IV c. 5 Evang. s. Ioannis, aliena manu libris Evangelistarum horum, insertos, putarunt esse. Caput ultimum Evang. s. Ioannis Grotio et post eum aliis, spurium videtur. Epistola ad Hebraeos, Michaëlis praesertim censuram incurrit. Eandem sortem expertae sunt epistolae s. Iacobi, nec non II et III Ioannis. De geminis epistolis ad Thessalonicenses, secunda Petri, epistola s. Iudae, de tempore scriptae Apocalypseis singularia prorsus et sentit et prodit Grotius. Apocalypsin inter spuria ablegant, Cerinthique fetum esse dicunt alii.

Plures

Plures alios criticorum errores atque abusus, longo agmine recensere, et factu arduum, et prolixius esset, quapropter labore hoc supersedemus. Critici hi, homines malae fidei, studio partium dèditi, veritatis inimici, conjecturis aliquibus in medium collatis, scriptores sacros ab antiqua possessione dejicere, ne librorum sacrorum auctores haberentur, sacrosque codices corrumpere, vel ad sua placita, suamque credendi normam detorquere, conati sunt. Quodque Dahler (de librorum Paralip. auctoritate atque fide historica) de critico de Wette effatus est, facile in alios ejusdem furfuris homines transferri potest. „ Nil, nisi errores, ineptias, negligentiae et fraudis turpissimae specimina videre sibi visi sunt... Quam inique erga chronographa affecti fuerint, vel ex eo perspicitur, quod multa, quae in bonam partem accipi vel excusari saltem possunt, semper in deteriorem partem

detorqueant, quod, quae librariorum negligentiae tribuantur, ea auctori crimini dari malint".

Plerique doctrina occaecati, suaque prudentia atque consilio nimium fidentes, ad artem criticae sacrae accedunt. Utinam probitatem etiam, modestiamque adhiberent! Utinam nihil partibus, nihil simultati, nihil invidiae concederent, sed in inquirendam tantummodo veritatem totis viribus incumberent. Utinam illustrare atque emendare sibi proponerent, si quid in sacris litteris, minus lucidum, vel error aliquis irrepsit et invectus est, aut barbarorum saeculorum, aut typographiae vitio, quae saepe librorum corruptrix reperitur.

Unum addo: nempe sollicite cavendum esse, ne ex critices sacrae abusu, plus mali in religionem invehetur, quam unquam ex recto illius usu, utilitatis in eam redundavit.

(a) Richardus Simon. Histoire critique du Vieux test. L 1. c. 2 et 5.

(b) Jahn. Introductio in libr. sacr. Vet. test. Pars II c. 5 § 15. Viennae 1804.

(c) de Wette. Kritischer Versuch über die Glaubwürdigkeit der Bücher der Chronik.

(d) Atropaeus. Meletema histor. Argentorati 1698.

(e) Grotius. Praef. in Judith. – Jahn Introd. Par. II. Sect. IV. c. 5. § 244 seq.

(f) Bauer. Entwurf einer Einleitung in die Schriften des Alten Testaments – Seiler. Das gros. bibl. Erbauungsbuch Th. s. 67.

(g) Jahn. Introd. § 190.

(h) Rosenmüller. Scholia in Job. Proleg. § 1.

(i) Huetius. Demonstratio Evangel. Prop. 4. § 4 – Lamy. Apparatus bibl. – Dupinus (Du Pin) Proleg. T. 1. § 10.

(k) Jahn: Appendix hermen. Viennae 1815. Fascic. II pag. 112–122.

(l) Eychhorn. Introd. in V. T. 3a edit.

(m) Jahn. Introd. in lib. Vet. Test. § 223 seq.

§ V.

Obsequium quod studio biblico critica sacra praestitit.

Sexcentos dubio procul criticae sacrae abusus fuisse, sed multa etiam praestitisse illam studio biblico obsequia, nemo unus infitias ibit. Plerique, qui quorundam librorum sacrorum authentiam divinitatemque impugnarunt, aliorum vindices extiterunt acerrimi. Immo accidit non raro, ut hunc eumdemque librum et vexarent et defenderent.

Quod novi veterisque testamenti annales, maximum ac firmissimum religionis nostrae

funda

fundamentum apte nunc sint dispositi, ac in ordinem distributi, quod authentia librorum sacrorum in aprico posita sit, quod cunctis difficultatibus contra textus obscuros atque intricatos oppositis obviatum sit, atque amphibologiae ex ambiguis vocibus, apparentibusque repugnantiis ortae, conciliatae sint, criticae hoc sacrae ferre acceptum debemus.

Critica sacra immanem scriptorum codicum multitudinem, veterum editionum aliorumque fontium contulit, lectionesque in illis repertas variantes textus sacri, vel ex librorum veteris testamenti collatione, vel ex locis parallelis veteris et novae legis, vel ex Massora, editionibusque adornatis Judaeorum studio, vel denique ex comparatione textus hebraei cum vetustis versionibus commentariisque rabbinorum, extrahendas curavit, et,

quae

quae summa quondam auctoritate valerent, codicum veteris testamenti puncta vocalia, parvi pendere, cum aliter legendi occurrat ratio gravis, docuit.

Integritatem textus hebraei, substantialibus in rebus, contra assertiones tum Morini, et patris Pezron, tum praecipue Capelli et Vossii, quorum insedit mentibus, isthunc, qui nunc circumfertur, textum, esse corruptum, ideoque reformandum ad versionem septuaginta, praeclare tuiti sunt Fabrycy, Martianay, le Quien, et Jo. Gottlob Karpzovius (a).

A calumniis Kemnitii, vulgatam nostram vindicavit critica, dum eam ex antiqua et nova compositam gravissima et Augustini et Hieronymi auctoritate fulciri, et annis jam mille communis Ecclesiae usu receptam esse demonstraret. Reliquas editiones non damnari a Tri-

dentino

dentino, ut idem Kemnitius asserit, sed tantum illas, quae suspectae sunt, nec praeclusisse vel interdixisse fontes, ad quos recurrere interdum fas est, tum ad energiam vocum rite intelligendam, tum ad tollendam ambiguitatem ubi latina vox anceps et aequivoca occurrit, tum ad librariorum errores corrigendos, si magna et vehemens urgeat suspicio, (b).

Plerique scriptorum protestantium in Moysen, cui abjudicare voluerunt Pentateuchum, calamos acuere, quorum opinioni etiam Richardus Simon, multum probabili ipsi visae, litavit. Ast causam Moysis agentes multi, adversariorum impetus strenue propulsarunt. Inter hos praecipue du Voisin (c), objectiones omnes criticorum Germaniae nostri temporis, facile infirmavit, librorumque Moysis acerrimus vindex extitit. Nec mediocre studio biblico bene pridem attulit obsequium Dupinus (d), qui in explican-

dis libris Moysis, nullam, quam non solveret, difficultatem linquens, varietates textus, versionumque, explicationes patrum, rabbinorum atque criticorum addendas curavit, multisque observationibus tam geographicis, quam chronolologicis opus conspersit suum.

Librum Iosuae scriptum fuisse ante David regni septimum annum, nec adeo recentem esse, ut adversarii nostri volunt (e), neque habere substantialibus in rebus interpolationes (f), critices opera evidens nunc est in medioque positum.

Protestans de Wette, eos, et praesertim Bertholdum insectatur, qui affirmabant, librum Ruth esse fictionem. (g)

Probata crisis rebus in utramque partem rite ponderatis, libros Regum omnes et Paralipomenon Esdrae adjudicavit, e relictis regum Iuda et Israelis annalibus ac commentariis, quae saepius his in libris laudantur, cuncta in ordinem redigenti-librique hi, tum nostrorum criticorum, tum protestan-

tium

tium, praesertim Carpzovii (h) conaminibus, vindicati ab impiorum impetentia.

Keil (i) authentiae librorum Paralipomenon, vehementissimus extitit propugnator, qui argumenta adversariorum adeo repulit, ut ad hoc quod dixit, aliquid addere arduum sit ac fere impossibile.

Michael Baumgarten protestantium assecla, (k) de libro Estherae edidit tractatum, omnium qui adhuc temporis hac in re prodierant, solidissimum. Auctoritas historiae Estherae, veritasque illam narrantis libri, diligentissime demonstratae sunt atque vindicatae maxima scientia, ab inimica quorumdam hujus temporis criticorum asperitate.

Criticum Hitzig (l), qui quidquid acerbitatis habuit, id totum in Isajam effudit, cujusque objectiones omnes vel philologicae tantum sunt, vel rationalismi ex fonte profluxerant, neque sanae criticae cum legibus conferri possunt, egregie refutavit Hengstenberg (m). In Genesii opere, lin-

qua

gua germanica versionem [Isajae exhibente, quod Lipsiae anno 1820–1821 lucem aspexit publicam, explicationes historicae, ac prophetiarum gentes spectantium exteras, solidae videntur atque accuratae. Critica viri acuto conspersa judicio, vastaeque eruditioni ac linguarum antiquarum notitiae foedere juncta, ni rationalismum spiraret, plurimum praeberet utilitatis. Piper, Jahn, Glaire, Meller (n) et alii Isajam ab injuria hostium prohibuerunt causamque ejus tuiti sunt optime. [

Egregia praelaudati Hengstenbergii in alios etiam bibliorum libros extant merita. Tertia christologiae suae parte, methodo philologica explicat copiose prophetias Jeremiae Messiam spectantes, atque genuinum ad hebraicae grammaticae regulas sensum vocum; refutatque explicationes criticorum modernorum, qui falsis principiis interpretationis, dogmaticisque praejudiciis capti, sensum hunc invertunt. Isthaec oracula impleta esse demonstrat idem auctor,

cunctus

cunctas, quae a rationalistis excogitatae erant, diffi-
cultates praeclare convellens.

Baruchi prophetiam canonicam esse, divinaque auctoritate pollere critica probavit, objectionibus ad trutinam vocatis confutatisque. Obsequium hoc praestitit suis dissertationibus Tournemin (o), nec non Houbigant (p) Huetius (q) et Deresser (r). Jahn, qui quinque tantum priorum capitum Baruchi authentiam admittit, hanc etiam contra Eychhornii argumenta defendit (s).

Bleck (t) quamquam Danielem extitisse neget, maximum tamen authenticae libri hujus prophetae defensoribus tulit adjumentum, argumentis probando gravissimis atque certissimis, librum hunc, non a variis, ut quibusdam visum est, sed ab uno eodemque scriptum fuisse auctore. Tantisque ac tam exquisitis opinionem hanc fulcit rationibus, ut eum secuti sint Ki[...] et Rosenmüller (u). Jahn, Deresser, Hengs-

tenb[...]

tenberg, et Hävernick, cunctas difficultates authentiam librorum Danielis infringentes, valide dissolverunt.

In libris Machabaeorum varias antilogias, quas critici protestantes deprehendisse gloriantur, critica sustulit, et neque cum historia, nec cum chronologia eos pugnare ostendit. Questionem de morte Antiochi Epiphanis tribus variis modis his in libris narratam, de urbe in primo libro Elymais, in secundo Persepolis nuncupata, resolvit. (x) Erasmus Fraelich jesuita edidit opus in quo solidissime auctoritatem chronologicam et historicam priorum duum librorum Machabaeorum defendit. Alius ex eadem societate anonymus auctor, contra Gottlib Wendsdorfium perfecte tuitus est sententiam de Antiocho Sidete (y).

In aliis libris veteris testamenti vel illustrandis, vel ab injuria defendendis, critica sacra non pauca praestitit obsequia. Sed multus sim, si in tam angusto campo omnia congere velim,

quae-

quaedam itaque tantum, ambitu verborum contractiore, quae ad studium novi testamenti critices contulit adjumenta, recensere juvat.

Millius et post illum alii firmis argumentis probarunt Evangelium Syriacum quod nunc extat, esse tantum versionem ex Graeco, non vero authographum s. Matthaei. Idem criticus in multis codicibus graecis antiquissimis, atque fide dignissimis, historiam mulieris adulterae invenit, adversariosque historiae hujus, manifestis indiciis convicit.

Quaestiones de capite I et II Evangelii s. Matthaei, difficultates cap. XVI Evang. s. Marci, et cap 21 s. Joannis critica dissolvit.

Controversiam inde jam a saeculo exortam de versu 7 c. V primae epistolae Ioannis sonante: Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt, cujus authentia non a protestantibus solum, sed a catholicis etiam impugnata erat, codicibus scriptis tum graecis tum latinis non paucis, aliisque

argumen

argumentis Richardus Simon et laudatus Millius diremerunt, atque authentiam versus hujus in plenam diem solemque produxerunt.

Authentiam integritatemque librorum novi Testamenti demonstrunt plurimi, inter quos eminent: Cellerier, de la Luserne, du Voisin, Jansens, Glaire, multique alii, de quibus docebunt P. Le Long et D. Calmet in suis bibliothecis sacris, et Richardus Simon in historia critica commentariorum.

Haec, quae festinanter tetigimus, nec non ea, quae certi sumus, multo plura et graviora prudentioribus in mentem ventura sunt, criticam sacram studio biblico multum prodesse, nec pauca eidem studio contulisse obsequia, plane persuadent. Quaedam hic tantum protulimus. Nec enim omnia meminisse potuimus, et si potuerimus, priva commentatione opus esset. Nulla difficultas quam adversarii bibliorum nostrorum authentiae, auctoritati, divinitatique opposuerunt,

nulla

nulla dubitatio occurrit, quam non examinaret, justis rationum momentis expenderet solveretque critica, ut ingenue dici posit, tantum a pravo animo, perfidia et hypotesibus, libros sacros oppugnari posse. Non ad authentiam vero solam probandam, suam critica intendit curam, sed omnia rimandi scrutandique tum quae ad linguam hebraicam, illique cognatas, tum quae ad antiquitates biblicas, atque alia quoquomodo cum bibliis conjuncta nexu spectant, provinciam suscepit atque sustinuit.

(a) Morini: Exercitationes biblicae. Pezron: Antiquité des temps retablie et defendu. Cappelli: Critica sacra. Vossius De 70 interpretibus. Fabricy: De titres primitifs de la révelation. Martinay: Défense du texte hébreu et de la chro-

chronologie de la Vulgate 1693. Le Quien: Défense du texte hébreu. Carpzovius: Critica sacra.

(b) Bellarminus L. II de Verbo Dei c. 10.

(c) du Voisin: L'autorité des livres de Moyse.

(d) Pentateuchus Mosis etc. Parisiis 1702.

(e) Vide sis Joh. Jahn: Introductio par. II c. II.

(f) Augusti Kueper: Jeremias librorum sacrorum interpres atque vindex. Berolini 1837.

(g) Einleit. § 193 Seit 245. Vierte Auflage.

(h) Carpzovius: Introduc. p. I. c XV. § 3.

(i) Keil: Apologetischer Versuch über die Bücher der Chronik etc. Berolini 1833.

(k) De fide libri Estherae commentatio. Halae 1839.

(l) Hitzig: Der Prophet Jesaia übersetzt und ausgelegt etc. Heidelberg 1833.

(m) Hengstenberg: Christologie des alten Testaments. Berol. 1829.

(n) Piper: Integritas Jesajae a recentioribus conatibus vindicata 1793. Jahn: Introd. in V. T. Glaire Introduction T. IV. Möller:

de

De authentia oraculorum Esajae. Haunid

(o) Tournemine: in ephemeridibus Trevoux.

(p) Biblia cum notis criticis etc. Parisiis 1753.

(q) Demonstratio Evang. prop. IV.

(r) Einleint. Th. IV. § 435.

(s) Jahn: Introd. in lib. V. T.

(t) Bleck: Ueber Verfasser und Zweck des Buchs Daniel etc. in theol. ephemerid. edit. Berolini 1822. pag 171 seq.

(u) Commentatio historico-critica exhibens descriptionem et censuram recentium de libro Danielis opinionum. Jenae 1828. Rosenmüller: scholia in Danielem. Proem.

(x) Videsis: Bergier: Dictionnaire de Theologie art. Machabées. Jansens: Hermeneutica sacra § 174 n. 415. Glaire: Introduction &c.

(y) Froelich: Annales compendiarii Regum et rerum Syriae, nummis veteribus

illu-

illustrati &c. Vindobonae 1744. Auctoritas utriusque libri Maccab. canonico-historica etc. Viennae Austriae 1749. Wendsdorfii opus, hunc fert titulum: Commentatio historico-critica de fide historica librorum Maccabaicorum. Vratislaviae 1747.

---

§ VI.

Celebriores critici eorumque labores.

Jam inde a primis Ecclesiae saeculis erant critici, qui sacros libros interpretati sunt, textusque, qui primo intuitu repugnantes videntur, conciliarunt, ut Heraclitus, Candidus, Apion, Rodon, Clemens Alexandrinus, et maxime Pontanus, qui Alexandrinae praefuit scholae.

Sed inter ceteros eminet Origenes. Totam ferme ille scripturam illustravit jam in scholiis, jam in homiliis, jam in commenta-

riis

riis. Apparatum quoque (Philocalia) ad scripturae explanationem vehementer accomodatum, atque Polyglotam, nominibus Tetrapla, Hexapla et Octapla insignitam, reliquit. Certe Origenes in suis scriptis, sibi non modo eruditionem maximam, sed ingenium sublime limatumque judicium inesse ostendit, atque inter optimos criticos referri posse. Nisi studio trahendi omnia ad allegoriam, non modo ab scopo aberasset interdum, sed etiam sibi ipsi constans non fuisset. Quo in studio, Platonica philosophia imbutus, utque Marcioni et Celso, qui allegorias penitus rejecere, occurreret, omnem profecto, ut Jahn animadvertit(a) modum excessit.

Post Origenem, maximum in interpretatione scripturarum nomen habet Chrysostomus. Plura erudita commentaria adornavit. Cum nesciret linguam hebraicam, felicior est in novo,

quam

quam in veteri testamento. Antiquitas nihil melius reliquit iis, quae de epistolis s. Pauli scripsit. Praeclara etiam sunt, quae in libros historicos exaravit. Commentarium in s. Matthaeum plurimi aestimatur.

Quod in Ecclesia graeca Origenes, id Hieronymus in latina. Superat etiam Origenem quod linguam hebraicam et chaldaeam calleret. Non legit tantum examinavitque versiones graecas, sed etiam quinque doctorum Judaeorum usus fuerat consiliis, ad mysteria et obstrusa scientiae hebraicae perscrutanda, multosque antiquos codices adiit. Aegyptum, terramque sacram, situs naturamque locorum explorandi ergo, perlustravit. Commentaria, quae in prophetas exaravit, caeteris praecellunt.

Superior Hieronymo vi ingenii Episcopus Hipponensis, critica et eruditione minor est. Quanquam in libro de doctrina christiana, optimas

dat interpretationis regulas, saepe tamen ipse ab illis abludit, linguas, quas interpreti necessarias ipse dixit, nesciens. Commentaria ejus in psalmos plena sunt tropologiis, raroque sensum exponunt litteralem. Tractatus in s. Ioannem, Concordia Evangeliorum et explicatio litteralis epistolae ad Galatas, praeclara continent. Interpretatur potius rem quam verba. Si textus sacri linguas noverit, nemini interpretum cessurum liquet.

Alii praeterea iisdem temporibus fuerunt in arte critica exercitati, qui in litteralis sensus scripturarum inquisitione felici successu laborarunt, quemadmodum Ammonius Alexandrinus (ab Ammonio Sacca diversus), Iulius Africanus, Eusebius Caesariensis, ac uterque Theodorus, id est Heracleensis et Mopsuestenus, ac Theodoretus, qui commentarios suos animadversionibus criticis atque historicis repleverunt,

adeo

adeo, ut recentiores interpretes in novi testamenti explicatione (ut recte animadvertit docissimus Calmet) nihil novi excogitarunt, quod a veteribus dictum atque excogitatum non fuerit.

Sed ulterioribus saeculis studium sacrarum litterarum sensim defecit. Ii enim, qui eidem vacarunt, catenas (b) tantum fecerunt, testimoniisque Patrum sacras litteras interpretati sunt, nihil de suo addendo. Cassiodorus et Gregorius M., sequuntur Augustinum, Rabanus Maurus Hieronymum, utrumque vero et alios, Beda. Anno 1258 Raymundus Martin et post eum Elias Levita antiquitatem punctorum vocalium oppugnarunt, quo pacto criticae sacrae straverunt viam, summam abhinc auctoritatem hisce punctis abjudicanti, atque illa postponere, quum aliter legendi ratio

(b) ~~Catenae dicebantur libri commentariorum, ex variis commentariis compilati.~~

ratio sit valida, edocenti. Nonnulli postea Hermeneuticae sacrae, quae cum critica conjuncta est nexu stricto, navarunt operam, ut Engelbertus, Ludovicus Saxo, Eymerius et alii, sed praesertim Nicolaus Lyranus, qui sacrarum litterarum studia instauravit saeculo XIV.

Anno 1650 exiit in lucem Critica sacra Ludovici Cappeli ministri Saumurensis. Quo opere congessit auctor lectiones varias textus hebraei, vel ex libris veteris testamenti secum collatis, vel ex locis parallelis veteris et novi Testamenti, vel ex Massora, vel denique ex hebraei textus cum antiquis versionibus, commentariisque rabbinorum collatione, extractas. Librum hunc Cappeli violenter adgressus est Joannes Buxtorf, aliique protestantium non pauci. Theologi vero Genuenses usque adeo processere, ut quicunque publice professus non esset, textum hebraeum talem, qui nunc circum-

fertur

fertur, sacrum et authenticum esse, ministerio Evangelico excluderent. (c)

Houbigantius Congregationis Oratorii presbyter, edidit Parisiis 1753 textum hebraeum veteris testamenti cum notis criticis et exegeticis, doctissimis prolegomenis, atque versione latina. Opus hoc quatuor in folio voluminibus constans, exquisitissimis characteribus impressum, mentem attentionemque eruditorum plurimum advertit. (d) Multa virum praestitisse utilia negari nequit, attamen jure non a catholicis tantum, sed a protestantibus etiam reprehenditur, quod nimis audax fuerit in sua critica, quod levibus ex causis textus sacrae scripturae V. T. immutandos censuerit, multumque concesserit conjecturae criticae.

Brevi post, Benjamin Kennikott Anglus edidit binas dissertationes de hodierno textus hebraei statu, quibus praelusit magno

suo operi impresso Oxonii annis 1776–1780
2 tom. folio, sub titulo: Vetus testamentum cum
varii lectionibus. Opus hoc, cui auctor viginti
annos laboris impendit, quodque insignem vari-
antium lectionem continet adparatum, collationem-
que textus Samaritani, et ferme sexcentorum
nonaginta duum exemplarium tam manuscri-
ptorum, quam impressorum, spem expectationem-
que sapientum haud implevit. Tantum enim ab-
fuit, ut hisce manuscriptis magni momenti
lectiones deprehenderent, ut potius cum admira-
tione adspicerent, variantes hos, maxima parte,
fuisse tantum librariorum menda, alios vero, pa-
rum corrigendo textui hebraeo conducere. Vitio
quoque Kennicotio vertitur, quod non satis exac-
tus nec satis diligens sit in collatione suorum
manuscriptorum. Copiosa haec collectio Ber-
tholdo rudis indigestaque moles audit.

Laborem Kennicotii continuandum su-

scepit Ioannes Bernardus Rossi, professor Parmensis, in opere cui titulus: Variae lectiones V. Testamenti, ex immensa manuscriptorum editorumque codicum congerie haustae. Parmae 4 t. in 4º 1784–1788. Quo adhuc pertinent ejusdem: Scholia critica in V. Testamenti libros, seu supplementa ad varias sacri textus lectiones. Parmae. 4. 1798. Immanem codicum manuscriptorum, qui hucusque ignoti erant, multitudinem, trecentarum editionum, aliorumque fontium, auctor congessit, secum invicem contulit, atque operi suo, variantes in illis repertas lectiones, inseruit. Neque hoc solum. Verum adjecit serium antiquarum versionum examen, nec non operum, quae a rabbinis vel typis edita, vel scripta manu extant, denique judicium quod a modernis criticis, de quibusdam majoris momenti lectionibus latum est. Vitio illi vertitur non con-

tulisse omnia manuscripta (ut ipse vir doctus fatetur) nec explorasse omnes collectionis Kennicotii variantes. Aegre quoque acceptum, familiam cujusque scripti codicis ab auctore non assignatam; etenim ab XI saeculo omnia manuscripta correcta fuisse ex aliis antiquioribus, certo liquet; haud absimile itaque vero, tria tantum, vel quatuor manuscripta archetypa esse; caetera exempla, quae ad tres quatuorve classes sive familias referri possunt. Quanquam autem Rossi materiam nequaquam exhausisse dicendus est, plus tamen omnibus anterioribus praestitisse negabit nemo.

Bahrdt rem factu arduam suscepit, textum hebraeum cum omnibus versionibus conferendi, notandi gravissimos variantes, indeque judicium criticum proferendi, sed opus hoc inchoatum tantum erat, primumque volumen exiit 1775 a sub titulo: Apparatus criticus ad formandum interpretem veteris testamenti.

Joannes

Joannes Jahn publicavit Viennae 1806 4. t. in 8° Biblia hebraica, in quibus selectum lectionem variantium ex Kennicotii et Rossi operibus extractum dedit.

Sed jam ad novi testamenti criticos transeamus oportet. Plures in novi foederis textu in crisim vocando desudarunt. Brevitatis ergo praetermitto Erasmum, qui primam editionem graecam novi testamenti fecit 1516 a. ad unius manuscripti exemplar, cui duorum aliorum decimum saeculum non excedentium collationem adjecit: Robertum Etienne cujus editio novi testamenti adpellatur mirifica, a prima praefacionis voce, quem secuti sunt typographi Hollandici Elzevirii in editione sua textus receptus dicta: Waltonem, cujus pervulgata sunt biblia poliglotta Londini 1657 et seq. 6 tomis folio edita, doctissimisque prolagomenis instructa, et Joannem Fell Episcopum Oxoniensem, qui editionem N. Testamenti graecam cum

varium

variantibus antiquarum versionum, scriptorumque codicum nonnullorum, diligenter adornandam curavit — ad recentiores, insigniores que criticos accedo.

Millius editione sua novi Testamenti graece omnium absolutissima, cui lectiones manuscriptorum Waltonis, Fell, aliorumque multorum adjecit, novam criticae sacrae aeram aperuit. Fecit enim, quod ante illum nemo; aetatem, valorem, statumque manuscripti sui, quod non aliquibus tantum locis confert, sed ab initio ad calcem, perspectum exploratumque facit. Critico quodammodo instinctu, addita, inserta, mutataque occurrentia detegit, lectiones antiquarum versionum, Patrumque testimonia adjicit, neve quid summo egregioque labori desit, doctissima dat prolegomena. Immensus hic adparatus auctori triginta annis laboris stetit, qui totis adnisus est viribus, reliquos ante se omnes, eru-

ditionis

ditionis exquisitae praestantia superare. In prologomenis, cujusdam libri n. testamenti scriptorum certum assignat tempus, sacri textus historiam, a primaeva illa ad usque postremam aetatem refert, atque totius operis schema, cui exequendo plane non defuit, exhibet. Ad infimam pagellarum oram adnotat non concordantias tantum versiculorum scripturae, sed etiam quaecumque referuntur ad expositiones patrum, et scripta aliqua Judaeorum, uti Josephi, Philonis etc. Infra succedunt variantia a se collecta. Ex his plane colligitur, nihil in hac editione desiderari. Novam editionem operis Millii, multis auctam, tribus annis post, adornavit Amstelodami Küster 1710 a. Michael Bohm vero ad meliorem formam redegit.

Bengel, Germanus doctissimus, critica observatione ulterius progressus, maximam plurimis scriptis codicibus affinitatem inesse, eodemque

que fonte exire, deprehendit. Duas itaque manuscriptorum distinguit familias, Africanam aliam, aliam Asiaticam, immanemque manuscriptorum copiam, quae hucusque propria gaudebant voce, ad duas tantum redegit classes. Quo pacto criticam ad nova invenienda promovit. Editio ejus n. Testamenti prodiit Tubingae 1734 a in 4. Ad margines dedit variantium selectum, sed maximi momenti laudata editione est <u>Adparatus criticus.</u>

Eodem tempore Basileae inclaruit non aetate quidem sed doctrina maturus, clarissimus Jacobus Wetstein, qui laboribus suis atque disquisitionibus in critica sacra, multos superavit. Prolegomena ejus lucem aspexerunt publicam a. 1730, sed editio duobus in folio voluminibus exiit 1751–1752. Antecessorum studiis callide usus, fontes e quibus hauserant, adiit, manuscripta propriis examinavit oculis, lectionesque antiquarum versionum adjecit. Sed variantium adparatu superior est locorum, ex auctoribus profanis, rabbinis, patribusque Ecclesiae, qui in explicatione novi testamenti maximo adjumento sunt, excerptorum multitudo.

Brevi

Brevi alium doctissimum virum dedit Germania, nempe celeberrimum Grisbachium, qui ex Wetsteinii operibus quaestu facto, nova adjecit, excoluitque criticae quas Bengel dedit, regulas. Editio ejus novi testamenti typis impressa fuit annis 1775–1777 2 t. Halae

Nec praetermittendus est Christianus Fridericus Matthaei, Professor Philologiae profanae in Universitate Mosquensi, qui ex 103 manuscriptis in bibliotheca sacrae synodus repertis, juris publici fecit adparatum criticum in totum n. testamentum 12 tomis in 8 annis 1782–1788 impressis. Contractior editio exiit 3 tomis 1803–1806. Laboris hujus maximum pretium est, quod haec manuscripta maximam partem nondum nota nec revisa, a viro docto singulari diligentia excussa, magno judicio extracta et adcurata specificatione orbi erudito praesentata fuerint.

Anno 1787 Franciscus Carolus Alter professor linguae graecae in Universitate Vindobonensi, edidit opus, cui titulus: Novum testamentum ad codicem Vindobonensem graece expressum, varietatem lectionis addidit Carolus Alter. Viennae

1787

1787 3 t. in 8°. Ad finem operis continentur excerpta ex 21 manuscriptis bibliothecae Caesareae Vindobonensis, aliisque fontibus, quae vir iste singulari industria, licet ordine aliquantum confuso fecit, quaeque mundo litterario eo majore in existimatione esse debent, quo minus exacte usque modo haec manuscripta revisa a viris quibusdam doctis fuere. Praeter variantes manuscriptorum addidit adhuc lectiones versionis copticae typis impressae, versionis slavicae et antiquarum latinarum.

Andreas Birchius professor Theologiae Hauniae edidit opus eruditum, quod hunc fert titulum: Quatuor Evangelia graece, cum variantibus a textu lectionibus. Codd. Mss. Bibliothecae Vaticanae, Barberinae, Laurentianae, Vindobonensis, Escurialensis, Hauniensis regiae etc. Hauniae 1788 in 4°. Author congessit lectiones trium versionum Syriacarum, et prae-

mitit

misit operi doctissima prolegomena. Primum tantum volumen exiit, cujus exemplarium numerus magnus, atque secundi scriptus adparatus, sub tempus incendii Hauniae 1795 igne consumpti sunt, qua causa Birchius edidit tantum variantes ex residuis manuscriptis ad Acta Apostolorum, Epistolas et Apocalypsim Hauniae 1798 et 1800.

Hoc adparatu copiaque rerum instructus, publicavit Griesbachius secundam suam novi Testamenti editionem, duobus voluminibus, sub titulo: „Novum testamentum graece. Textum ad fidem codicum, versionum et patrum recensuit etc. D. I. I. Griesbach. Vol I. quatuor Evangelia complectens. Ed. secunda emendatior etc. Halae Saxonum apud Curtii haeredes, et Londini apud Petrum Elmsly". Secundus tomus hunc titulum habet: „Novum test. etc. Vol. II Act. et Epist. cum Apocalyp. complectens. Ed 2ª Halae

Saxon.

Saxonum et Londini apud Payne et Markinlay. 1806."
Editio haec, magnam apud criticos auctoritatem nacta est, quorum tamen non omnino expectationi respodit. Multi enim inventi sunt errores, quibus emendandis accinxit se doctus Theologus Vratislaviensis David Schultz, tertiamque editionem castigatam et auctam curavit Berolini 1827 a. Editio haec opus Griesbachii novum fere reddidit. Manuscriptorum copiâ, quae aut omnino ignota authori, aut non multa cura examinata ab illo erant, usus est novus editor, multisque notis locupletavit. Principia criticae Griesbachii Schultz subinde haud admittit. Multa menda primi praesertim tomi secundae editionis, ut ipse vir doctus fatetur, lituris sustulit. Plurima signa orthographica, sensum ut redderent clariorem adjecta, quae nimium phrases secando, adhuc obscuriorem sensum fecerunt, removit. Demum, ne versum quidem reliquit intactum novus editor, cujus haec sunt verba: „ Et vero

si

si quem non taedeat, conferre editionem veterem et novam, brevi intelligat necesse est, vix versum unum esse relictum, quin aliquam mutationem, et liceat hoc mihi sperare, correctionem quantamcumque per me acceperit. (Praef. p. 29).

Ejusdem generis labor alius comparuit Lipsiae 2 t. in 4° cura doctoris Scholz, sequenti titulo quasi summa operis: „Novum testamentum graece. Textum ad fidem testium criticorum recensuit, lectionum familias subjecit, e graecis codicibus manuscriptis, qui in Europae et Asiae bibliothecis reperiuntur fere omnibus, e versionibus antiquis, conciliis, sanctis patribus, et scriptoribus ecclesiasticis quibuscunque, vel primo vel iterum collatis, copias criticas addidit, atque conditionem horum testium criticorum, historiamque textus novi testamenti in prolegomenis fusius exposuit, praeterea synaxaria codicum KM 262, 274, typis exscribenda curavit

D. I. Mart. Augustinus Scholz „. Primum volumen, quatuor Evangelia complectens 1830 a., alterum acta Apostolorum, Epistolas s. Pauli, aliasque epistolas catholicas et Apocalypsim habens 1836 r exiit.

Attenta examinando mente, innumerosque manuscriptorum variantes inter se conferendo, ad dividendum ea in duos ordines, in duas familias, adducimur. Alteram, quae magna parte ad tempus textui recepto conforme refertur; alteram, quae, quolibet versu, vel singulis vocibus, vel integra phrasium structura, ab illa discrepat. Ad primum ordinem, Scholzii judicio, pertinent maximam partem manuscripta, octo novissimorum saeculorum, editionesque omnes; ad secundum, plurima nunc existentia, quorum nonnulla sunt litteris uncialibus scripta, atque alia, quorum exiguus est numerus, recentiora. (Tom. I. proleg. c. III § 20, 21 pag 15). Ex menologiis, notis marginalibus certis,

pictur<del></del>is

picturis, quae manuscriptis quibusdam insunt, loco versionis, criptorumque, qui manuscriptorum horum textum adducunt, patriâ, colligitur, manuscripta ordinis primi fuisse facta in Asia, aut in orienti Europae (ibid pag 16), secundi vero ordinis in Aegypto et occidentalibus partibus Europae (Ibid. § 24 pag 18). Cum autem primi ordinis manuscriptorum ingens numerus Constantinopoli factus, atque hujusce Patriarchatus Ecclesiarum in usu fuerit, dicta sunt ideo Manuscripta Constantinopolitana, secundo vero ordini nomen Alexandrinorum inservit, vel quia Alexandriae praecipue librarii, a quibus descripta erant, degebant, vel quod illorum lectiones originem inde trahunt suam (Ibid § 25 p. 19) Hinc appellatio Asiatica ad primum, Africana ad alterum ordinem spectat. Haec vero Scholzium tenet opinio, familias asiaticas, plus africanis, textui primitivo accedere, ideoque puriores exactioresque esse *)

Opinio

Opinio haec et patronos habuit, et, ut ipse auctor fatetur, adversarios. Qui adversarii, ut auctor conqueritur, in re tantum litteraria illum adgressi sunt. Sed graviore reprehensione perstringendus est auctor propter assertiones a catholica confessione discrepantes.

[Anno 1831 Lachman typis impressit novum testamentum Berolini, nulla editionum, quae exierant, ratione habita. Pauca tantum graeca manuscripta, nonnullos Patres Ecclesiae, et Vulgatam latinam prae oculis habuit. Criticus hic persuasus, impossibile esse dare textum, qui proxime textui Apostolorum accedat, enixus est aliquot documentorum antiquissimorum auxilio, illum, qui maximo in usu erat in Oriente IV saeculo, textum restituere, vultque omnis critica inde progrediatur. (*)

In criticorum numero ponendi etiam sunt, qui

(*) Videsis ad calcem hujus § de Tischendorfii operibus ad criticam sacram spectantibus.

qui illustrandae scripturae, defendendae authentiae ejus, corrigendoque textui sacro insudarunt. In eorum enim scriptis multa criticae sacrae utilia inveniuntur. Quosdam saltem meminisse juvat.

Cornelius a Lapide S. I. decem volumina commentariorum in scripturam sacram exaravit. Stylus ejus simplex et incomptior; ut veros assertosque libros allegat, qui nunc a praestantioribus criticis tanquam supposititii habentur. Varia opera Patribus falso adscripta, eorum nomine laudat, quae tamen menda saeculi ejus tribuenda sunt vitio. Nihilominus opus ejus, multa ejus genqua utilitate, qua sapore longe superat.

D. Dupinius (du Pin) maximam operibus suis confecit sibi famam. Prolegomena ejus edita Parisiis 2. t. in 8.° 1701 a. multa continent, ex quibus utilitatis plurimum capietur. Edidit quoque dissertationes historicas, chronologicas, geographicas et criticas in scripturam sacram Parisiis 1712 8.°. Nihil praeterit obscurum

cui

cui lumen non effuderit.

Augustini Calmeti Commentarium litterale 25 voluminibus in 4.° constans, ab anno 1807 typis mandatum, universam scripturam illustrat. Nec ingenium illi, nec eruditio singularis deest. De illo Jahn. (Enchirid. hermeneu. gener. pag 171) his verbis ait: „ Ipse quoque Calmet, ab omnibus laudatus, non offert, nisi diversas antiquorum et recentiorum interpretationes, sine maturo judicio congestas, et maxima ex parte mysticas, quibus tyro, experientia edoctus scribo, magis impeditur, et inutiliter detinetur, quam adjuvatur „ Sed pace doctissimi professoris dicam, Calmetum et judicio maturo pollere, et critica non leviter versatum esse, ut multos etiam primi subsellii commentatores superet. Quisquis implexas s. Scripturae ambages extricare voluerit, adeat Calmetum, cujus opus, ut magnae nimium molis, non tyronibus, sed magis maturioribus aetate et doctrina,

perutili

perutile est. Ipse Jahn multa ex commentariis et dissertationibus Calmeti ad suam Archeologiam extraxit.

Introductio historica et critica in Vetus et novum testamentum, auctoris Glaire (Introduction hist. et crit. aux livres de l'ancien et du Nouveau test. Paris 1843. 6 t. in 8°) in magno pretio habetur. De authentia et divinitate scripturarum, de textu originali, de versionibus, de antiquitatibus hebraeis, optime disserit; singulos tam novi, quam veteris test. libros criticae statera examinat; celebrioresque, qui vel totum bibliorum corpus, vel aliquam tantum partem illustrarunt, authores percenset, unumquemque aequo judicio aestimans. In hac nostra opella, multum nos debere huic auctori, libenter fatemur.

Omitto Salmeronem, qui commentarios 16 vol. in fol. cum prolegomenis, et Sylveriam qui 10 vol. fol. scripturam illustrarunt, nec non Bonfrerium, Serrarium, Huetium (la Haye), mul-

multosque alios, de quibus consulatur Rosenmüller, Richardus Simon, Camet et Glaire.

Protestantium etiam hac in re merita extant non mediocria.

Joannes Drusius (genuinum ejus nomen Driesche) ad litteralis sensus explicationem bibliorum utilia scripsit, variosque tractatus, qui divinum codicem spectant. Opera ejus ad scripturam 19 tomos implent. Criticus optimus et in disputatione moderatus.

Hugo Grotius notas in vetus et novum testamentum adornavit celebratissimas. Exquisita in illis eruditio profana regnat. Sed auctor gravi suspicione perstringitur, quod de dogmate Christiano credendo perperam sentiat. De Christi divinitate apertam sententiam nunquam protulit. Vaticinia de Jesu Christo vel infringit, vel ad nihilum fere redigit. Praefatio et notae in Cantica canticorum non sine scandalo leguntur.

Multa

Multa tamen utilia et scitu necessaria opus hoc habet

Notae, quas Michaëlis Germanicae suae scripturarum traductioni adjecit, in antiquitates, historiam et geographiam bibliorum, plurimum lucis effundunt.

Judaei etiam, nil obstante, quam erga textum hebraeum habent, veneratione maxima, varia ad ejus correctionem spectantia ediderunt opera. Todros juris publici fecit opus criticae in Pentateuchum, quod prodiit Florentiae a. 1550 et Berolini 1761. Sed ultima haec editio mendosa est. Auctor, ut ipse in praefatione fatetur, usus est scriptis codicibus antiquissimis atque correctissimis, posthabitis omnino modernis, quando autem illa antiqua manuscripta secum conformia non erant, secutus est lectionem quam maximus numerus dabat. Rabbinus Menaches de Lonzano in opere: Lumen fidei, (edit. Venetiis 1618, dein Amsteledami 1659)

contulit decem manuscripta, maxima ex parte hispanica, nonnulla sat antiqua, quingenti atque sexcenti annos habentia. Commentaria Rabbini Salomonis Norzi in totum vetus testamentum, edita 1742 Mantuae, multa habent criticae utilia, laboremque duorum praecedentium longe superant. Commentariis his adjectus est textus hebraeus atque notae criticae.

Addendum pro coronide, quod typographi Londinenses anno 1660 novem tomis complexi fuerint Criticos sacros, nimirum auctores omnes, qui verba et phrases, ac idiotismos scripturarum sagatius indagarunt. Opus hoc contraxit Matthaeus Polus, dictorum criticorum edens synopsim, non ex his solum auctoribus consarcinatam, sed ex omnibus clarissimis scripturae interpretibus. Collectionem criticorum Londinensium auctam et melius digestam, typographi Bavi recuderunt.

a) Jahn Enchiridion Hermeneuticae generalis Viennae 1812 p. 164.
b) Catenae dicebantur libri commentariorum ex variis commentariis compilati.
c) Critica sacra, Parisiis 1650. fol. Arcanum punctuationis revelat. Leydae 1624 in 4° Commentarii Amsteled. 1659. fol.
d) Ex hac editione notae criticae et exegeticae, sine textu publicatae Francofurti ad Maenum 2. t. in 4° 1777. Sed editio haec multis scatet typi erroribus, qui eam inutilem pene reddunt.

Appendix de codice Sinaitico, Tischendorfii.

Cum hanc commentationem adornarem, de Tischendorfio nihil novi. Hic itaque de illo summatim dicam.

Fridericus Constantinus Tischendorff

professor eruditissimus Universitatis Lipsiensis, restituendi textus sacrorum bibliorum studio incensus, perlustratis non Europae tantum, sed et Orientis regionibus ac bibliothecis, collegit plurima arabica, coptica, syriaca atque alia manuscripta antiqua, quae partim regiae bibliothecae Dresdae, partim Universitati Lipsiensi cessit. Graecum veteris testamenti scriptum codicem, ipsius Tischendorfii judicio omnium Europae membranarum antiquissimum a. 1846 juris publici fecit hac inscriptione: Codex Friderico-Augustanus. Anno 1853 iterato Orientem petiit. In monte Sinai, in quo olim Mosi gloria Dei affulsit, et lex divina promulgata est, in s. Catharinae monasterio, invenit manuscriptum graecum veterrimum, vetus testamentum non tamen integrum, atque novum totum continens, ediditque hoc titulo: Bibliorum

rum codex Sinaiticus Petropolitanus, Auspiciis Augustissimi Imperatoris Alexandri II, ex tenebris protraxit, in Europam transtulit etc. Lipsiae 4. tomi. fol.

Vix opus est ut addam, codici huic flammis Omari erepto, tot saeculorum spatio in monte Sinai conservato, manibus sanctorum patrum et eremitarum, qui in illo lectionis reliquerunt indicia suae, voluto, in praestantissimorum codicum numero locum deberi, studiisque sacrarum litterarum maxime profuturum. Quae sit historia ejus atque origo, res est in incerto posita. Celebri Vaticano propius accedit, cumque citatis Patrum ac vetustissimorum codicum concors est. Tischendorff illum quarto saeculo rationibus gravibus et certis adscribit. Ad calcem n. testamenti duo libri additi, alter, quem Barnabae nomine doctores Ecclesiae a secundo inde saeculo ornarunt,

qui

qui latine tantum hoc usque legebatur, nec integer erat, nec intelligi poterat, alter Ermae.

Vitio librarii datur, linguae graecae ut videtur parum gnari, plurima codici huic inesse menda, versusque etiam totos desiderari, ita ut gravis momenti inveniantur lacunae, a quibus tamen et Vaticanum et alios codices veterrimos non esse immunes scimus. Hanc ob rem Archimandrita Porphyrius, qui in Oriente et in monte Sinai longo commoratus est tempore, atque primus codicis hujus notitiam tradidit, partimque descripsit, in illum typis impressum signa movit, atque etiam ab orthodoxae religionis doctrina alienum nuncupare non dubitavit, libello, quem patrio edidit suo sermone: Мнѣніе о Синайской рукописи &c. 1862 г. (Opinio de Sinaitico codice scripto). Eadem lingua ad ea reposuit, causamque codicis laudati tuitus est praeclare doctissimus vir Noroff (Норовъ) scripto cui ti-

tulus

tulus: Защита Синайской рукописи библии отъ нападений о. Архимандрита Порфирія Петерб. 1863. (Sinaitici codicis bibliorum contra impetus patris Archimandritae Porphyrii defensio. Petrop. 8 pag. 15.)

Ejusdem Tischendorfii alia adhuc edita sunt opera ad juvandas atque illustrandas sacras litteras: Codex Ephremi Syri receptus, sive fragmenta veteris test. — Monumenta sacra inedita — Evangelium Palatinum ineditum — Codex Claromontanus: Fragmenta sacra palimpsesta (1845–1854). Textus 70 interpretum cum criticis notis (1850). Novum testamentum triglottum (1854) lingua graeca, latina et germanica, eximiis notis criticis ditatum – etc. Omnibus hisce operibus doctissimus Professor, qui nullo labori pepercit in evolvendis codicibus ~~lectis~~ scriptis, magnum sibi apud eruditos nomen conciliavit.

§ VII.

Utrum ex mente Ecclesiae Catholicae liceat uti critica sacra, in interpretandis litteris sacris, et quaenam regulae ob oculos habendae, ut interpretatio sit legitima, et menti hujusce Ecclesiae conformis?

Ut profani libri vel temporis injuria, vel hominum culpa, corruptionem experti sunt, ita et sacer textus. Variae lectiones, millenis exemplaribus, dissimiles, non raro contradictoriae, quarum utique unam falsam esse ambigit nemo,

sacras litteras corruptionem hanc incurrisse, abunde probant. Quae corruptio, levioribus saltem in rebus, tanta descriptorum multitudine exemplarium, evitari humanis mediis ut posset, arduum factu ac fere impossibile erat. Librariorum incuria certe plurimum sacrarum scripturarum incolumitati obfuit, sed aliae etiam causae malum hoc invexere. Critica sacra, cujus partium est genuinam lectionem inter variantes eruere ac determinare, remedium contra malum hoc praebet manifestum atque praesens.

Criticae hujus apologiam Tobenz (Operum 2. 398) his verbis facit.

[[„Neque verendum, ne hanc crisim instituendo verbo divino injuriam inferamus. Non enim crisin in textu, de quo constat verbum Dei esse, sed in illo, de quo catenus nondum certi sumus, facimus, et in eo elaboramus, ut non adparens verbum Dei, pro vero adprehendamus. Id vero

tantum

tantum abest, ut verbo Divino praejudicium causset, dignitatem potius ejusdem non raro promovet. Objectiones enim, quibus illud frequenter adpetitur, vim probationis amittunt, si ostendere possis, lectionem quam adversarius adoptat, in incerto cubare. Quod non raro usu venit. Quanquam inficias iri nequeat, idem pondus probationes quoque nostras, licet rarius, quandoque tamen premere. Sed veritas omnibus praevalere debet. Nec praeterea caeci erunt adversarii nostri, qui id in lucem producere non cessabunt, quod nos dissimulaverimus. Tum igitur in id conemur oportet, ut planum faciamus, nostram lectionem justam esse, adeoque critices ejusdem subsidio textum nostrum ab exceptione eorum liberemus. Neque judicium istud interpretando timendum habemus, ne in decretum Concilii Tridentini impingamus, quod Vulgatam nostram, authenticam declaravit. Id enim ad res tantum fidei et morum pertinere ostendi-

mus

mus. Ad accidentalia non pertinent. De quibus solis nobis sermo est".

Plura esse in libris sacris obscura, perplexa, plura in speciem contraria, variisque interpretationibus obnoxia, nemo est qui non videat. Loca vero illa obscura, non scripturis sacris adjudicanda sunt, etenim quum libri sacri scriberentur, illa plane patebant, sed temporum rationi, amanuensium negligentiae, atque huic in qua versamur, linguae Hebraicae, veterisque Hebraeorum historiae ignorationi. Hinc tot in scripturis sacris quaestiones, tot unius loci interpretationes, totque novi eruditorum conatus, ut dilucidius, verisimilius et aptius, quam antea, explicentur scripturarum loca. Hinc etiam natae sunt inexhaustae illae, chronologiam, geographiam, mores, consuetudines, leges publicas, ceremonias, numeros annorum, mensuras, animalia, plantas et alia id genus spectantes disceptationes, quas era-

dito

dito in certamine doctissimi viri tuendas, propugnandas suscipiunt, quaeque illis saepissime crucem figunt. Loca scripturarum occurrunt quam plurima de rebus ad salutem non necessariis, quae dubium sensum, dubiam significationem praeseferunt, variasque easque versimiles admittunt interpretationes. In his omnibus non immoderata quidem, sed magna tamen ingeniis licentia conceditur, interpretandi et disputandi, modo omnis ingeniorum linea illo tendat, ut inter ceteras, quae verisimillima sententia videtur, scripturis sacris tribuetur. Non ad verbum itaque Dei, non ad loca, quae ad fidei et morum doctrinam spectant, uno duntaxat modo explicanda, nempe secundum Ecclesiae mentem, sed ad illa loca, quae justissimas haerendi causas vel acutissimiis ingeniis ingerant, auctoritatem suam extendit critica. Interpretationes itaque ad eumdem locum, modo contortae non sit ac violentae, modo non aliis scripturae,

traditioni

traditionis, ac rationis luminibus ~~non~~ adversentur, convenire, ac tolerari possunt. Neque hujusmodi interpretationes quia novae unquam improbari possunt, sed quia insultae, ineptae, et a ratione absonae, et ab aliis scripturae locis fortasse discordes.

Interpretandi vero scripturas sacras praestantissimi canones hi sunt:

1° Scriptura interpretanda est non secundum solam rationem, ut praetendunt rationalistae, nec secundum immediatas inspirationes, ut volunt enthusiastae, nec secundum speciale, cuilibet particulari impertitum Spiritus s. auxilium, ut volunt Protestantes, sed secundum auctoritatem infallibilem Ecclesiae.

2° Verba Scripturae in sensu obvio, naturali et proprio, ut sonant, accipienda sunt, nec ad metaphoras, vel alios tropos, aut sensus improprios inflectenda, nisi in necessitate. Necessitas autem tunc est, cum verba accepta in

proprii

propria significatione, praeseferunt sensum evidenter falsum et contrarium vel aliis locis scripturae, vel traditioni et decisionibus Ecclesiae. Itaque non est accipiendum in sensu metaphorico, quod debet sumi in sensu proprio, nec in sensu proprio, quod intelligendum in metaphorico. (De hoc vide Augustinum libr. 3 de doctr. christ. c. 5. seqq). Si enim absque necessitate liceat voces scripturarum accipere improprie, nulla historia, aut fidei veritas poterit stabiliri, omnia praecepta morum corruerent. Omnia namque verba, ut, non occides, non furtum facies &c. sensu improprio accipi possent. Hinc multi, dum a proprio sensu scripturae absque necessitate recessere, in varios errores ac haereses prolapsi sunt.

3° Si verba s. scripturae in sensu proprio accepta, aliquid rationi manifeste contrarium continerent, aut cum revelatione pugnarent, aut morum honestati aliquid repugnans assererent, ratio

ratio ipsa monet, in his locis impropriam locutionem latere. Scriptura impropriis de Deo locutionibus plena est, cum nihil prope humanum sit, quod non ipsi tribuatur: dicitur enim dormire, expergisci, irasci, dolere, quin et corporis humani membra et illorum officia ipsi tribuuntur. Idcirco autem scriptura ejusmodi metaphoris utitur, ut imbecillitati humani intellectus consulat. (De hoc vide August. de divers. quaest. ad Simplicianum l. 2. q. 2, nec non l. 3. de doctr. christ. c 5–20)

4° Scripturas sacras nihil tam reddit obscuras, quam ratio loquendi per aenigmata, parabolas, allegorias perpetuas, metaphoras et catachreses, quam loquendi rationem, qui assuetudine lectionis non didicit, scripturas istas interpretari non potest. Is enim mos fuit sacris authoribus, atque ipsi hominum magistro Jesu, ut aliquam veritatem, sive historicam, sive moralem, sub allegorico velo, et sub parabolis

poeticis

poeticisque figuris, ingeniosa gravitate referrent, quo illa documenta et dulcius haurirentur, et firmius ab auditoribus retinerentur. Qua in re sese consuetudini, et ingenio Orientalium populorum accomodarunt, quibus majori, quam apud alios populos, in pretio fuere, immo adhuc sunt, talia eruditionis condimenta. Ita dubitare quis potest, absque Dei revelantis injuria, vixerintne reipsa Lazarus mendicus et filius prodigus, in divinis libris memorati, aut potius eorum vita et acta sint parabolis sacris tantummodo accensenda. Nam quod est ad Job, certa fide tenendum est, ipsum verum, non imaginarium hominem fuisse. Tria vero hic cavenda sunt, scilicet: ne allegorias etiam ibi investigemus, ubi nullae sunt, in quo maxime peccavit Origenes, et aliquot alii veteres; ne in alterum extremum deflectamus, nullas, aut admodum raras esse allegorias istas, in quo recentiores interpretes sensus litteralis aequo nimius amantes, plerumque peccant; demum ne putemus, stylo hoc allego-

ria

rico et tropologico semper mysteria contineri, quod interpretes saeculorum Europae barbarorum fecerunt.

5° Quod vero ad haec mysteria, seu ad sensum mysticum pertinet, interpretes scripturarum caveant, ne sensum hunc ipsi faciant, non inveniant. Inde enim natae sunt frigidae allusiones, quae paulatim apud plerosque ~~pro sensu~~ pro sensu litterali acceptae sunt. Exempli gratia: scriptum est in Salomonis cantico: <u>tota pulchra es, et macula non est in te</u>. Ea verba Ecclesia B. Mariae V. aptat, quod illa sine ullo peccato originali sit concepta. At cum nihil definiat de sensu eorum litterali, veteresque Patres, de Ecclesia Christi, <u>quae nec rugam habet, nec maculam</u>, intelligant, non recte faceret aliquis, qui affirmate et contentiose ad litteram de B. Maria virgine haec intelligeret, etsi pie faceret. Idem dicito de aliis plurimis. Ut igitur sensum hunc mysticum rite perspiciamus, advertendum censeo, an acuti et minus praejudicati interpretes, de illo cogitaverint, atque Ecclesia eum sen-

sum

sum agnoverit.

6º Nunquam certe manifestius oculorum judicia et vulgi opiniones consectatur Divina scriptura, quam quum de coelis, corporibusque coelestibus loquitur. Dominus exercituum inquit Isaias, praecepit militiae belli venientibus de terra procul a summitate coeli. (a) Desumpta ex opinione populari ea phrasis fuit. Vulgo enim videtur coelum esse non sphaericum sed hemisphaericum, et in extremis terrae deficere, atque illic terminari. Contra systema Copernicanum, in scriptura sacra immobilitas telluris, et solis mobilitas suadetur. Genes. XX. Ortus est ei statim sol. Ecclesiastici verba sunt c 1. Generatio praeterit et generatio advenit, terra autem in aeternum stat. Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per medium et flectitur ad Aqui-

(a) Isajae XIII. 4.5. Eadem phrasis occurrit Deuther. IV. 32. et XXX. 4. et libr. 2 Esdrae 1. 9. et Math. XXIV. 31.

lonem. Verum animadverti debet, solere divinas scripturas ad opinionem vulgi se se interdum accomodare, et retinere communem loquendi consuetudinem. Hoc et nunc in usu est, praecipue apud poetas, et in vulgari sermone, neque ea re veritas laeditur. Josue solem, non terram stare jussit. Stetit itaque sol in medio coeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei (b). Quia persuasum hominibus id temporis fuit, solem circa tellurem volvi. Quo posito hominum risui se exposuisset, si terrae mandasset, ut cursum cohibeat. Non esse itaque semper in scripturis pervestigandas veritates a captu populari longe remotas, Metaphysicas, Astronomicas, Physicas, et id genus alias, quae ad Religionem et mores non pertinent. Non enim interfuit Dei humanam curiositatem sua revelatione explere, et non potius mores emendare. Foedant igitur scripturas, qui systema Gassendi, Cartesii, Copernici, Newtonis, in libris Christianorum sacris perquirunt.

(b) Josue X. 12. 13.

7.° Evangelistae non servant rerum gestarum, quas narrant, ordinem, sed saepe quod prius factum est, narrant posterius, et quod posterius est factum, prius referunt. Exempla hujus rei passim in Evangeliis sunt obvia. Sic vg. Lucas ante sermonem Dei in monte narrat multa, ut paralyticum sanatum, discipulos spicas vellentes, sanatam manum aridam, leprosum mundatum, aliaque, quae tamen universa Matthaeus post sermonem in monte narravit. Nec quis temere credat, non semper sibi constare, vel pugnare secum scriptores sacros, etiamsi diversa dicere videantur; specie enim tantum pugnant et verbis, re ipsa tamen conveniunt. Ita cum ex Evangelistis alius dictum a Praecursore asserit, quod non esset dignus portare calceamenta Domini (c) alter dictum referat, quod non esset dignus corrigias

calceamen

(c) Math. III. 11.

calceamentorum solvere (d), non inter se dissentiunt, ambo enim pariter volunt modestiam Joannis praedicare. Interdum ab alio praetermissa quaedam, apud alium supplentur, vel saltem ambiguam vocem altero sensu usurpant. Jesus Christus ut infantes nos reformari desiderat (e), Apostolus vero, Fratres, ait, nolite pueri esse (f). Quibus verbis ille ad puerorum nos simplicem, lenem, et doli rudem animum provocat, hic a levi eorum ingenio, atque in rebus gerendis inconstantia abhorrendum monet. Idem homo, eadem res, quandoque duo diversa in scripturis habent nomina. Quispiam scriptor ordinem rei gestae servat, alius recordationis suae. Hic praetermittit id, de quo alius mentionem facit. Continua hujus regulae exempla suppeditat Concordia Evangelica, ubi quae ab uno Evangeli-

---

(d) Marci 1. 7. Joann. 1. 27.
(e) Matth. 18. 3.
(f) 1. Cor. 14. 20.

sta praetermissa sunt, ex alio suppleri ubique conspicimus. (9)

Hae sunt praecipuae in interpretandis litteris sacris servandae regulae. Plurimi tamen, nihili illas reputantes, ad arbitrium suum divinos libros exponunt. Rationis unius praecones, rationem suam privatam, constituunt sacrarum litterarum certissimum interpretem, divinique verbi sensum et religionis dogmata metiuntur ex privato cujusque ingenio. Tot errores, tot monstra opinionum ex ista rationis humanae superbia prodiisse. Caelestem quemdam efflatum excogitarunt, quo ducti singuli christiani germanam percipiunt scripturarum mentem. Catholici vero, in exquirendo et statuendo litterarum sacrarum sensu, ingenium suum, si forte ab Ecclesiae voce dissentiat, silere malunt, quam loqui.

---

(9) In hanc rem egregie August. de cons. Evang. L. 2. c. 5 et 12.

Adnavimus. Propositas nobis quaestiones, quantum pro ingenii, viriumque nostrarum tenuitate licuit, resolvimus. Curta nobis hac in re supellex erat. Opus de critica sacra, quod nobis in hac nostra lucubratione contexenda, quantulumcumque adjumentum adferret, habuimus nullum. Frustra a bibliis expoposcimus, frustra in perquirendo opere tali, temporis studiique posuimus plurimum. Nec tamen pagellae istae, ceu flores campi, quibus âeris, caelique sat, excrevere sua sponte, multis enim ad illas adornandas fuimus usi libris, praesertim Tobiae Tobenz (Opera omnia Vindobonae) Bernardi Lamy (Apparatus biblicus Venetiis 1766) et Glaire, (Introduction aux livres de l'anc. et du n. Test. Paris 1843), ex quibus nonnulla plane interdum, plurima autem carptim nos descripsisse, quod sine in-

dustria

dustria atque labore fieri haud potuit, ingenue fatemur. Sed tamen opera haec, diversi a nostra materia argumenti, amplum atque praesens adferre nobis auxilium nequiverunt. Neque ideo, si quid minus recte hic dictum, illis auctoribus, sed nostrae potius imperfectae scientiae, atque imbecillitati nostrae, est tribuendum. Et via huic labori intendere animum potuimus, nam curae variae, minutae illae quidem, sed assiduae, quaeve non tempus nec animi tranquillitatem ad hujusmodi studia necessariam concedunt, distraxere. Si itaque ab hac lucubratione nostra plurima absunt, quae inesse maxime debent, si manca minusque culta videbitur, parcite doctissimi Viri, defectusque qui certe plurimi sunt, jam operum criticorum, qua laboravimus, inopiae, jam adversis quas patimur, vicissitudinibus, adscribere, atque, pro bonitate vestra, tolerare non dedignemini.

Finis.